COMMENTARII

in Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

COMMENTARII

IN

Exercitia Spiritualia

S. P. N. IGNATII

CONCIONATORIBUS ETIAM ACCOMMODATI

AUCTORE

P. Antonio Denis, S. J.

TOMUS QUARTUS

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
D423
Alma, California

MECHLINIAE
EXCUDEBANT L. & A. GODENNE
—
1893

6711

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/commentariiinexe0000pant

Pars Quarta

QUARTA HEBDOMADA

Praenotanda

Sicuti per se ad viam purgativam prima pertinet hebdomada, secunda autem et tertia ad illuminativam, ita quarta, quamvis id non exprimat S. P., ad viam unitivam referenda est. Via autem unitiva duplex est : alia ordinaria, alia extraordinaria. Utriusque substantia in perfecta charitate consistit. Cum autem charitatem in observatione divinae legis Christus posuerit : *Qui habet mandata mea, et servat ea : ille est qui diligit me* (Jo. 14, 21), ille in via unionis est, qui ita in praeceptis Christi Jesu ambulat, ut ex amore divino, divinae voluntati in omnibus obtemperet, et sanctissimam hanc voluntatem pro sua semper habeat. Hinc mirabilis illa unio per quam transformatur, ut ita dicam, homo in Deum, et unus cum Deo spiritus efficitur. Tanti autem pretii unio ista est apud Deum, ut ineffabilia Christus ei promissa annexuerit : *Qui autem*

diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum... et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Ib. et v. 23).

Unionem non nominat Ignatius in hac quarta hebdomada. « Quod ideo credimus factum » ait P. A. Gagliardi in suis in Exercitia spiritualia Commentariis, « quod hoc » nomine soleret intelligi theologia illa, quam » mysticam vocant; quae in recessu, soli- » tudine et otio sancto, tota nititur mentis » elevationi et contemplationi, ducitque ad » ecstases, raptus et alia ejusmodi, per caligi- » nem illam divinam, de qua auctores multi » tractant et potissimum qui Dionysium Areo- » pagitam sequuntur. Haec autem, cum ab- » strahat et alienet animum ab operatione et » vita activa, sitque admodum difficilis, et » periculis illusionum pateat, ac proinde pau- » cis conveniat, a S. P. N. Ignatio merito est » praetermissa. »

Ex eo quod versetur quis in quarta, quae ad vitam unitivam pertinet, hebdomada, ne concludas eum ad unionem, scilicet ad perfectam charitatem, pervenisse, aut eum qui in prioribus exercetur hebdomadibus, ad hanc unionem non posse pertingere. Atque ex hac notatione nova forsitan ratio eruitur, cur

S. Ignatius, qui de via purgativa et de illuminativa meminit, omnino de via unionis tacuerit. Noverat enim eximiam hanc gratiam, etsi per se ad eam efficacissime perducant Exercitia, iis tantum concedi solere, qui magna cum generositate Exercitia et aggrediuntur et perficiunt, iis nimirum qui, juxta quintam Annotationem, *procedunt magno animo et cum liberalitate erga Creatorem ac Dominum suum, omne suum velle, et libertatem suam illi offerendo.* Qui igitur ita animatus fuerit, in ipsa jam prima hebdomada, unionem poterit attingere. Qui contra ea liberalitate usus non fuerit, ne in quarta quidem hebdomada ad unionem pertinget.

Quomodo autem, juxta mentem S. Fundatoris, ad unionem procurandam conducat haec hebdomada, jam nunc est dicendum. Quibusdam forte, rem leviter perstringentibus, videri posset eam hebdomadam ad consolationem procurandam destinari, qua jugum Christi suave fiat : et hoc quidem plerumque animae generosae post arduas praecedentium hebdomadum victorias usu venit. Sed in illo accidentali nec necessario fructu non consistit Ignatius. Scopum enim suum intendens, perfectissimam scilicet in Deum charitatem et purissimam divinae gloriae prosecutionem, in

quibus substantialem unionem reponit, Christum sub novo respectu proponit, quo ad apicem ipsum perfectionis tandem ascendat exercitans. In praecedentibus quippe hebdomadibus, Jesum maxime in sua sanctissima humanitate, ut reparatorem ac divinum Mediatorem exhibuit, atque in hoc amabilem et imitabilem; utque ejus amoris, dolorum et opprobriorum excessus moverent, in tertia hebdomada notavit *quomodo Divinitas ejus se absconderit, et quomodo siverit pati sacratissimam humanitatem tam crudelissime :* hinc magnus in Christi humanitatem amor. In hac autem quarta hebdomada, a sacratissima Jesu humanitate nunquam satis amanda, sed ex se finita, ad Divinitatem ejus et in fine ad Deum infinitum et infinito amore dignum fit ascensus. In contemplatione enim de spirituali amore obtinendo, de Deo ipso directe agitur, utpote infinitarum perfectionum abysso utque infinite propter se amando. Jam vero ad perfectissimam et purissimam charitatem ita pervenitur, et anima quasi sui et omnium quae Deus non sunt oblita, solum Deum propter se ardentissime diligit, omnia ad ejus gloriam et amorem convertit, in eum quasi transformatur et ei unitur. Sic unionem prosequitur Ignatius.

Unio mutuam dicit communicationem et mutuum amorem. Porro prius est cognoscere quam diligere. Ideo ait Jesus : *Haec est vita aeterna* (scilicet amor Dei in hac vita per gratiam, in altera per gloriam), *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Jo. 17, 3). Ideo et S. Ignatius, qui in tertio secundae hebdomadae praeambulo amorem et imitationem Christi petit, primum *intimam cognitionem Domini mei, qui pro me factus est homo,* quaerendam esse significat. Cognitio autem illa haberi nequit nisi per contemplationem. Contemplatio quidem in caelo fiet facie ad faciem; ibi igitur perfecta, consummata atque aeterna unio existet. In hac vero vita fit contemplatio in lumine fidei per gratiam : haec vel ordinaria est vel extraordinaria. De ordinaria tantum *ex professo* in suis Exercitiis, in ordine videlicet ad ordinariam seu substantialem unionem, agit S. P. N. Dixi *ex professo;* nam animam ita praeparat ac disponit, ut, si dignetur id Deus concedere, extraordinariae etiam apta sit contemplationi; quam tamen nec omittit nec excludit, ut in decima quinta annotatione et vigesima vidimus, et ulterius in regulis disc. spir. videbimus. Cum autem selectae quaedam animae, praesertim in vita religiosa, alta illa contemplatione do-

nentur, et directioni animarum destinentur Nostri, non de ordinaria tantum, sed et de extraordinaria contemplatione ex necessitate agemus. Non equidem ex nobis, utpote rerum tam sublimium ignaris, sed ex nunquam satis laudanda mystica nostri P. Alvarez de Paz Theologia, quae ad directionem sufficiant, depromemus.

De ordinaria Contemplatione

Ordinaria dicitur contemplatio, non quasi res communis et vulgaris esset, aut facilis et passim obvia, (nam ad ipsum perfectionis culmen atque ad eximiam cum Deo unionem conducit), sed ut ab extraordinaria distinguatur, in qua ex parte Dei charismata superioris ordinis unitae sibi animae conferuntur. Illa ordinaria contemplatio, quanquam supernaturaliter infusa, exercitio est comparanda, et ideo valde meritoria; extraordinaria vero, cum, paucis casibus exceptis, ut in S. Paulo et in S. Maria Magdalena, gratuitus sit fructus ordinariae contemplationis, non ad perfectam unionem necessarius, per se meritoria non est. Prior igitur tutior dicenda est, posterior multo magis illusionum periculis obnoxia. Omnibus igitur suadendum est ut totis

viribus ad unionem per ordinariam contemplationem contendant; nemo autem, si vere perfectus est et humilis, extraordinariae contemplationis donum a Deo postulabit, multoque minus irritis conatibus ad eam contendet.

Religiosis Ordinibus, qui soli vitae contemplativae incumbunt, extraordinariae contemplationis unio convenire videtur; iis vero qui saluti animarum procurandae se impendunt, multo minus, at non minori merito. De qua re sapientissimam et valde consolatoriam Patris nostri Alvarez de Paz opinionem audiamus :

« Perfectio christianae et spiritualis vitae a » sublimissima contemplatione non pendet, » sine qua perfecta caritas Dei et proximi » aliquando sine ulla umbra dubitationis exis- » tit. Quamobrem licet Deus multos perfec- » torum ad illud summum fastigium contem- » plationis extollat, alios tamen, quamvis » puritate conspicuos, ad illius doni experi- » mentum non sublevat. Est ipse omnipotens » Dominus, qui nulla lege constringitur, qui » non in solo pane tantae dulcedinis animas » sibi caras reficit, sed aliis modis ad perfec- » tionem caritatis subvehit. Est quoque ejus » gubernatio suavissima, nec vult semper, » quos ad multam actionem invitat, hoc dono

» longa spatia temporis deposcente, et ali-
» quantulum ab occupationibus avocante, re-
» tardare. Horum perfectorum, qui sublimita-
» tem contemplationis non accipiunt, quidam
» devotissima meditatione pascuntur, alii vero
» post multos annos meditationis, ad aliud
» orationis genus, in quo parum est medita-
» tionis, aut nonnihil contemplationis, et mul-
» tum affectus, vocantur. Hanc orationem nos
» supra affectivam diximus, cujus sunt exer-
» citia unientis amoris. » In his ultimis mo-
dum habes, quem in toto Exercitiorum suo-
rum libro tenuit S. Ignatius, sublimissima
non excludens (immo insinuans quandoque,
ut vidimus), sed interim ita praeparans ac
disponens animam exercitiis primae hebdo-
madae, ut si Deus voluerit eam ad sublimiora
evehere, accinctam et expeditam inveniat.

Quae autem de contemplatione affectiva
dicit P. Alvarez, haec S. P. habet in tribus
ultimis hebdomadibus; quod apparet non so-
lum in colloquiis quibus tantopere insistit, et
in tertiis praeambulis, quae omnia amoris
incentiva sunt. sed et in hac additione, nempe
quarta : *quod in puncto, in quo invenero id quod
volo, ibi quiescam, sine anxietate progrediendi ul-
terius, donec mihi satisfaciam.* Quae sane, ita
intelligenda sunt, ut intermittatur intellectus

memoriaeque discursus, et animus in affectu conquiescat; sic enim unioni via aperitur.

Quandoquidem *via ordinaria,* ut dicitur in vigesima annotatione, incedit S. P., vult et in ipsis contemplationibus meditationem, scilicet memoriae, intellectus et voluntatis exercitium, adhiberi, non ut in meditatione proprie dicta consistat exercitans, sed ut per eam, gratiae obsequens, ad amorem perveniat et ad ejus fructum, qui in imitatione Christi constituitur; quae duo, amor nempe et imitatio, animam Deo conjungunt.

Contemplationi ordinariae seu affectivae P. Alvarez tres gradus assignat. « Primus in- » cipientium hanc viam (scilicet contempla- » tionis), qui humanitatis Domini considera- » tione excitantur. Secundus proficientium, » qui divinitatis meditatione accenduntur. » Tertius perfectorum, qui simplici aspectu » Dei, in quo jam non parum contemplationis » (scilicet etiam superioris) est, affectibus amo- » ris implentur. Sed his omnibus illud est » commune, ut parum intellectu laborent, et » in affectibus voluntatis se occupent. » Hic discrimen habes inter meditationes primae hebdomadae, in quibus discursus ante omnia, isque diligentissimus requiritur : *et ita consequenter, ait S. P., discurrere magis in particulari,*

et contemplationes sequentium hebdomadarum, in quibus dicitur : *videre* personas et reflectere, ut fructum capiam. Fructus autem ille imitationis ex affectu praeconcepti amoris colligitur.

Tribus autem illis gradibus accommodari videntur trium ultimarum hebdomadarum Exercitia. Nimirum in secunda et tertia, incipientibus vitam contemplativam proponitur sanctissima Christi humanitas, in qua amabilissimae et perfectissimae virtutes se manifestant; in quarta autem, Christi divinitas, quae se in passione absconderat, *jam apparet, et ostendit se nunc tam miraculose in sanctissima Resurrectione, per veros et sanctissimos ejus effectus.* Tertio perfectis exhibetur ipsa Divinitas in se; quod fit in contemplatione amoris spiritualis. Initium enim habet a beneficiis tum generalibus, tum particularibus homini a SS. Trinitate concessis. Quid autem inde consequitur? Donatio absoluta sui ipsius: *Sume, Domine et suscipe,* etc.; quae donatio est ipsissima perfectaque substantialis unio cum Deo. Dein simplici aspectu, ut ait P. Alvarez, cernitur praesens et laborans Deus ex amore in universa creatione, ac praesertim in anima sibi devota, velut in templo suo. Tandem in quarto puncto, ad culmina evectus exercitans

simplicissimo aspectu Deum ipsum videt ac in infinitum divinarum perfectionum pelagus incidit, eoque immergitur, sui atque creaturarum oblitus. Sic via sternitur ad extraordinariam contemplationem. Etenim « ex frequentia » affectuum et aspirationum, ait P. Alvarez, » quae affectiva oratione continentur, ascendit interdum animus ad mysticam theologiam, seu ad illam indoctam sapientiam, » qua mens Deum suum sine discursibus agnoscit, et quasi contrectat, et sine ratiocinationibus gustat. »

Sed praetermissis istis quae extraordinariam ipsam contemplationem attingunt, ad orationem affectivam redeamus. Quae sequuntur, ex P. Alvarez excerpimus, et iis praesertim qui animas dirigunt, valde sunt attendenda. Respiciunt enim modum quo Deus eas solet in contemplatione ordinaria perficere.

« *Aliquos,* ait, Deus statim a principio conversionis suae absque meditationibus atque » discursibus consuevit in statu affectuum collocare, et igne amoris omnia in illis impura » et vitiosa consumere. Tunc vero meditationibus insistendum non est, sed per iter » affectuum properandum... Si Deus te ab » initio vocat, ut illum diligas, ut ex amore » ad gemitus pro peccatis descendas, ut amore

» tuas maculas detergas, et vitia et immorti-
» ficationes consumas, cur non illi obedies,
» cur donum tibi sine meritis datum, humili-
» ter et grato animo non accipies? » Adductis autem Magdalenae et Pauli exemplis, ita pergit : « Cognoscemus autem aliquem ad oratio-
» nem affectivam fuisse vocatum, si is medi-
» tari nesciat, et omnis aditus ad discursus
» ipsi praecludatur, si facile ad affectus as-
» surgat, si in illis cor ejus pacem inveniat,
» si vitam suam non minus, aut magis, quam
» meditatione corrigat, et in omni virtute
» proficiat. Qui ejusmodi est, non est ad me-
» ditationem arctandus, sed suaviter secun-
» dum suam vocationem et orandi rationem
» docendus, ne in illa minus circumspecte
» procedat, aut aliquem errorem imbibat...
» Discant animarum spiritualium magistri
» quomodo debeant eas gubernare. Attendant
» an ipsae se corrigant, an in virtute et puri-
» tate progressus faciant, an ad perfectionem
» non segniter currant. Et si id absque medi-
» tatione, et per alium modum, quem ipsi
» praeceptores experti non sunt, assequantur,
» nequaquam in animum inducant illas in-
» quietare, et a via, per quam a Deo ducun-
» tur, abducere. » Contra eos praeceptores qui secus agunt vehementius invehitur S. Joannes

a Cruce. « Patres isti spirituales, inquit, eo » quod nil nisi communem orandi modum » experientia norint, existimant animas quae » in affectuosa contemplatione quiescunt, tem- » pus perdere; ideoque eas, ut agant, ut dis- » currant, compellunt, quamvis istae in com- » muni meditandi ratione nonnisi taedium, » ariditatem, distractiones et inutilem repe- » riant fatigationem. Sibi persuasum habent » quod hac inertia in perniciem incurrunt, » sicque et animabus incredibiliter nocent et » divinam operationem perturbant injuriose. » Neque, ratione zeli, ulla parte sunt excusa- » biles : si enim vias non communes ignorant, » animas a Deo ad superiora vocatas, ad eos » directores mittant, qui idonei sint, ni velint » propter tanta dilectarum Deo animarum » detrimenta, telis divinae justitiae se expo- » nere. » (S. Joan., in oper. *Viva flamma amoris).*

Plerumque ad orationem illam affectivam nemo perveniet, nisi postquam multum et abunde meditatus erit; non enim aliter impedimenta removere et suam mentem disponere quisque poterit. Oratio haec natura sua requirit, ut anima primo peccatis et inordinatis affectionibus absolvatur; secundo, sit in virtutibus exercita; tertio, Deum intime cognos-

cat. Atqui non purgabitur, nisi, juxta methodum primae Exercitiorum hebdomadae, horrorem et immanitatem cujusvis peccati, necnon inordinatarum affectionum, quae sunt peccati radices, diu meditando intime prius perspexerit. Neque pariter virtutes acquiret, nisi vitae et passioni Christi, virtutum omnium doctoris et exemplaris, alta meditatione studuerit; neque tandem Deum intime cognoscet, nisi divinas ejus perfectiones longo et serio labore fuerit perscrutatus. Verbo, tenenda prius est methodus illa quam in suis Exercitiis nos edocuit; quae methodus, dum continuo ad amorem Christi provocat et colloquiorum usum commendat, efficacissima ad orationem affectus praeparatio est.

« Inquiri solet, ait P. Alvarez, utrum anima » ad orationem affectivam vocata debeat eam » a meditatione inchoare? R. *Incipientibus* (in » hac via) id saepe esse utile, ut ardentius » ad affectus excitentur. Immo cum senserint » affectum tepefieri, debent iterum ad medi- » tationem recurrere, et remissos voluntatis » actus accendere... Est itaque meditatio satis » opportuna, ne mens affectibus vacua, si nec » utilia meditetur, otiosa maneat. Manifes- » tum est enim animam otio torpere, quae » neque voluntate, neque intellectu aliquid

» agit. Nec sufficit aliquando voluntatem qua-
» si violenter ad affectum impellere : nam
» affectus sic eliciti non multae sunt utilita-
» tis, et animam potius arefaciunt. »

Oratio affectiva, et propter caritatis actuum eminentiam et propter suavitatem, procul dubio meditatione excellentior est; at plura in ea latent pericula. Et primo quidem, cum in corde et in parte sensibili affectus habitet, non vero etiam in animo et voluntate, valde timendum est, ne qui ita afficitur, magnum quid de se sentiat, quaerat seipsum, et facile ad terrena sensualiaque dilabatur. Illud quoque est periculum, ne finem orationis in illa suavitate reponamus, quae si desit, inutiliter nos oravisse existimemus; cum verus finis orationis in eo consistat, ut animae vitam servemus, et in omni virtute crescamus. Tandem metui potest ne per multas illas suavitates in spiritualem quasi gulam, quae Deo odiosa est, incidamus. Inhaerendum igitur super omnia his Ignatii principiis : *age contra* naturam, et *vince teipsum;* in his ingens est fructus, et nullum periculum.

Notat P. Alvarez mirum in modum ad orationem affectivam conducere frequentem aspirationum, seu jaculatoriarum orationum, usum.

Sed de hac oratione satis : qui plura requirunt, libros inspiciant P. Alvarez. Nos jam, eo duce et doctore, ad extraordinariam contemplationem transeamus, ut electas animas a Deo ad fastigium illud vocatas, si minus digne, saltem non omnino imperite dirigamus. Praeterea notiones illae ad plenam regularum de disc. spir. intelligentiam, ut videbimus, nècessariae sunt.

De extraordinaria contemplatione

In hac contemplatione directe et immediate agit Deus in animam, sine ullo hujus praevio discursu et ulla ratiocinatione; anima igitur hic solum consentit et amat.

Excerpimus ex opere P. Alvarez, et fusissime ibidem expositos, paucis perstringimus quindecim hujus altissimae contemplationis gradus, ad familiarem loquendi modum, quantum fieri potest, redactos.

Primus gradus : *Intuitio veritatis,* non quia contemplans omnem veritatem in seipsa, et prout est, intuetur, sed quia simplici quadam et clariori notitia, et absque omni discursu quasi veritatem ipsam intuetur. Cognitio illa, a Deo, *sine causa praecedente,* ut ait Ignatius, animae immittitur. Extollit enim Dominus

animam supra omnem discursum et ratiocinationem velut in quamdam speculam, et ibi faculam splendidissimam sapientiae accendit, et perfectiones suas, aut mysteria humanitatis Christi, aut mundi et bonorum ejus vilitatem, aut aliquam Scripturarum veritatem, aut quaedam ad majorem mentis puritatem pertinentia inspicienda proponit. Hinc anima, supra id omne quod mens fingere potest elata, rerum visibilium imaginibus vacat, quae solent ejus quietem perturbare. Itaque tanto fulgore videt Deum, ut cetera omnia jam ex ejus oculis evanescant, atque, sicut in reliquis omnibus extraordinariae contemplationis gradibus, vilissima sui ipsius consequatur contemptio, et ingens, cum incredibili gaudio, amor Dei.

Secundus gradus : *Animae totius in seipsa recollectio.* Hoc in gradu anima, sine solito et meditationi proprio recollectionis labore, repente a Deo ipso vocatur et colligitur, qui ei in intimo cordis apparet, ibique, quod ipsi soli possibile est, eam tenet ac figit. *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus* (Cant. 4, 12). Consentit quidem anima illi divinae occupationi; sed adeo celeriter eam Dominus occupat, ut idem sit Domini invi-

tantis vocem audire, et in ejus conspectum intrare.

Tertius gradus : *Spirituale silentium.* In secundo gradu anima coram Deo consistens, vel loquitur laudans ac postulans, vel silet. Silet autem prae magnitudine lucis simul et amoris. Ubi enim hucusque lux crevit atque amor, mens ita tangitur ut suspensa maneat et loqui non possit. Intellectus prae admiratione haeret; imaginatio attonita divagari per varia non praesumit. Ab illo silentio anima dives egreditur, quia stabilius etiam et perfectius quam in gradu praecedenti terrena contemnit, et majori libertate per itinera virtutum currit.

Quartus gradus : *Quies.* « Duo gradus qui » praecedunt, ait P. Alvarez, ab intellectu in» choare videntur; duo vero qui sequuntur, » *quies* et *unio,* credimus a tactu voluntatis » incipere. Est autem quies jucunditas quae» dam voluntatis nihil quaerentis, nisi sic » in Deo perseverare. Videt se anima juxta » Deum, videt se ab eo amatam, et non ali» ter quam filiam carissimam singulari ejus » providentia protectam atque circumdatam; » et in hoc voluntas amore quiescit, tanquam » in complemento sui desiderii, quod jam » consecuta est. Illud est quod Sponsa dicit :

» *sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et* » *fructus ejus dulcis gutturi meo* (CANT. 2, 3). » *Sub umbra :* nam cognitio Dei in hoc gradu » animam protegentis, talis est, ut si cum » claritate graduum sequentium conferatur, » non sit lux, sed umbra dicenda. » In illa autem quiete anima mire proficit; nam cum sit prope Deum, non jam ex ratione, sed ex affectu sese penitus humiliat et omnium creaturarum minimam ac Deo ingratissimam persentit. Ubicumque enim vera Dei virtus adest, anima sponte se deprimit atque dejicit. Unde in nobis superbia, nisi ex nostra caecitate?

Quintus gradus : *Unio. Quies* solet in perfectam unionem desinere, in qua unum cum Deo per contemplationem efficimur. Unio haec non substantialis est, quandoquidem anima amittere suam naturam et transire in Deum non potest; neque in sola charitate consistit, qua dicere potest justus : Deus manet in me, et ego in eo. Qualis igitur est illa unio de qua loquimur?

« Est haec unio, ait P. Alvarez, pretiosum » illud donum, quo Deus in ipso fundo atque » intimo animae, clarissima luce se ei prae- » sentem, et eam intuentem, ac tenerrime di- » ligentem ostendit. Memoria ipsius animae » Deo sibi sic manifestato adeo tenaciter ad-

» haeret, ut (unione durante) ab eo avelli » separarique non possit : intellectus eum » clarissima luce sapientiae inspicit, et velut » quoddam totum, in quo est omne bonum, » intelligit, ita ut ab eo in aliquid aliud di- » verti nequeat; voluntas eum ardentissimo » amore constringit, qui instar ignis erumpens » omnia videtur absumere, ita ut anima non » jam in se vivat, neque actionibus naturali- » bus intendat, sed in eum dulcissimum spon- » sum toto affectu transeat, a quo arctissimo » apprehensa est complexu. In hoc gradu vi- » res istae (facultates) quasi in altum maris » divinitatis provehuntur, vel Deo immersae » ad summam quamdam lucem et ardorem » elevantur. In eo anima non tam agit, quam » recipit : non progreditur, sed abripitur, et » non exspectato consensu ejus (consentit ta- » men), in thalamum incredibilis suavitatis » ducitur. » Anima fit Deo similis et quasi deificata, sicut ferrum, non desinens esse ferrum, igni, luci et ardori assimilatur, postquam delituit in fornace.

Sextus gradus : *Auditio loquelae Dei.* Deus loquitur nobiscum per Scripturam suam, per voces praedicatorum et praelatorum Ecclesiae, per beneficia et flagella, per internos impulsus et fiduciae signa in petitionibus nostris.

Sed omnino alius generis loquela est de qua hic agitur. « Ea autem est, ait P. Alvarez, » qua Deus per seipsum, vel per subjectam » creaturam verba quaedam potentia format » in animo contemplantis, ut eum specialiter » de re ad salutem vel profectum ipsius aut » aliorum spectante erudiat, et ad magnam » reverentiam et obedientiam, et alios sanctos » affectus impellat. »

Sic saepe locutus est Deus cum Prophetis. Sic Pater caelestis : *Hic est Filius meus dilectus;* sic Gabriel ad Mariam : *Ave, gratia plena;* sic Angeli ad pastores; sic Christus ad S. Ignatium : *Ego vobis Romae propitius ero;* sic voce vocavit ad societatem Christus ex altaris tabernaculo Aloysium, B. Virgo Stanislaum, etc. Hae voces auribus corporis perceptae sunt; aliae locutiones interiores sunt et imaginatione tantum concipiuntur. De discernendis Dei locutionibus ab iis quae ab ipsa anima efformantur, in regulis de discretione spirituum dicetur.

Septimus gradus : *Spiritualis somnus.* « Post » loquelam Dei, ait P. Alvarez, quae in quiete » et unione solet audiri, ad ipsam unionem » redeamus, ex qua interdum anima ad quem- » dam somnum spiritualem transfertur. Hic » somnus, sicut corporalis, ex ebrietate men-

» tis provenit : *Inebriabuntur ab ubertate domus* » *tuae : et torrente voluptatis tuae potabis eos* (Ps. » 35, 9). Haec sobria ebrietas efficit somnum, » quo anima saeculo et sibi dormit, Deo vero » vigilanter intendit... Dominus ipse inebriat » animam amoris vino, caritatis potu, et inde » facit, ut omnium obliviscatur, et in sinu » sponsi dormiat et requiescat... Est hic som- » nus veluti quaedam imago gloriae, in quo » anima purissima voluptate fruitur. »

Duplex ille somnus esse potest : 1° quidem ita ut sit quaedam ecstasis inchoata. « Anima » enim contemplatrix, ait P. Alvarez, prae » admiratione et suspensione intuitionis solet » aliquando sensus externos (licet non plene) » relinquere, et ad modum eorum qui dormi- » re incipiunt, circa sensibilia se habere. Nam » hi dormitantes nec sensibus bene utuntur, » nec usu eorum omnino privantur, sed quasi » in medio somni et vigiliae res objectas ob- » scure percipiunt. » 2° Somnus autem qui proprie ac praecipue hunc gradum constituit, est, juxta P. Alvarez, « ille modus aut gradus » amoris tam vehemens, qui prae suo fervore » operationem intellectus expellat, aut certe » eam tam simplicem ac subtilem relinquat, » ut anima minime eam advertat. »

Octavus gradus : *Ecstasis*. « Ab spirituali

» somno, ait idem, in prima acceptione ex » dictis accepto, quo anima ad modum semi- » dormientis a perfecto sensuum usu abstra- » hitur, attentione et suspensione crescente » ad altissimum somnum transfertur, quo a » sensibus exterioribus, dum Deo intellectu » et affectu fruitur, penitus alienatur. Gradus » hic vocatur ecstasis, sive mentis excessus, » quo anima quasi extra se ponitur, et opera- » tionibus sensuum exteriorum eximitur. Est » ergo ecstasis elevatio mentis in Deum cum » abstractione a sensibus exterioribus, ex mag- » nitudine ipsius elevationis procedente. Cum » enim anima limitatae virtutis et capacita- » tis sit, quanto efficacius et vehementius uni » functioni attendit, tanto minus aliis inten- » dit. Unde potest (agente et illuminante eam » Deo) tanta intensione divinis rebus inspi- » ciendis et diligendis incumbere, ut nec prae- » sentia videat, nec verba prope loquentium » audiat, neque etiam ferrum aut ignem cor- » pori suo admotum percipiat, et breviter, ut » omnem usum sensuum derelinquat; et tunc » dicitur ecstasim pati, et in hoc gradu con- » templationis constitui. » Duo igitur in ecstasi concurrunt, vehemens cum ineffabili jucundi- tate occupatio interior, et abstractio ab omni usu exteriorum sensuum. Ibi mors et vita vera

consociantur : *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Col. 3, 3). Post illam ecstasin, anima ad perfecta anhelat, et omnia arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat. Illa ita sentit ex ecstasi; nos ex fide idem teneamus.

Nonus gradus : *Raptus*. « Est raptus, ait » idem Pater, ut ad contemplationem perti- » net, non quidem ille mentis excessus, quo » mens suaviter intra se colligitur, et ab usu » sensuum abducitur, sed ille, quo per vio- » lentiam quamdam a sensibilibus avellitur, » et ad divinorum inspectionem et amorem » elevatur. Est res haec in initio (ut experti » dicunt) plena timoris atque formidinis : quo- » niam anima in se existens nescit quomodo » quasi a corpore sejungatur, et a suis sensi- » bus abscindatur, et in quamdam regionem » peregrinam sibique penitus incognitam, non » tam ducatur, quam trahatur... Post usum » autem recipiendi hoc donum cessat timor » atque admiratio, et manet immensae suavita- » tis et maximorum emolumentorum fruitio. »

Sic rapti fuere Ezechiel (8), Paulus (II Cor. 12, 2). S. Franciscus, S. Dominicus, Manresae Ignatius, S. Teresia et alii.

Quid tunc fit in corpore? « Cum veluti ab » anima deseratur, ait idem Pater, et omnis

» calor intus recipiatur, tunc frigidum et in-
» eptum ad se movendum redditur. Ideo in
» raptu aut sedet, aut jacet, aut in loco ubi
» erat ceu columna quaedam immotum per-
» stat. Interdum cadens in terram prosterni-
» tur; interdum vi spiritus in aera levatur;
» interdum manus et brachia in altum levat,
» aut aliis modis insuetis vehementiam inte-
» rioris motionis ostendit. »

Quid fit in anima? Mirabiles in ea effectus producuntur. Post illam gratiam nulli cuicumque rei adhaeret; « magna cupit pro
» Christo agere et pati; magna audet, nec ulla
» contradictione aut difficultate a coepto de-
» sistit. Vellet millies pro Domino et anima-
» rum salute vitam exponere; in notitia mag-
» nitudinis Dei, et suae vilitatis supra modum
» excrescit, et vitam finire, ac sui sponsi as-
» pectu frui impatienter concupiscit. » Tandem, quod fit in omnibus gradibus sed hic maxime, humilitas animae fit profundissima : « Quanto magis quis elevatur, ait S. Bona-
» ventura, tanto humilior fit; ut Paulus post raptum. »

Decimus gradus : *Apparitio Christi et Sanctorum corporea.*

« Est, ait P. Alvarez, visibilis seu sensibi-
» lis apparitio in contemplatione, quando

» oranti aut contemplanti Christus, aut B. » Virgo, aut aliquis Angelus aut Sanctus, se » oculis ipsis corporeis videndum, aut aure » audiendum, aut manibus palpandum of- » fert... Fiunt autem omnes apparitiones is- » tae *communiter* Angelorum ministerio, qui » virtutem habent, ex aere, admixtis aliis ele- » mentis, vel aliquo illorum, corpora confi- » ciendi, quae formam humanam exprimant, » et vocem ac motum, et alia propria corporis » humani oculis intuentis exhibeant : ita ut » Christum, B. Virginem, Angelos, Sanctos » vere repraesentent, quoad corpus, vocem et » sensus. » Neque hic deceptio intervenit; nam Angeli ita apparentes non suo nomine sed in nomine mittentis apparent, agunt et loquuntur, et mentem nostram in rem repraesentatam efferunt. Sic Dominus in paradiso per Angelum Adamo apparuit, et dixit : *ubi es?*

Istae imagines corporum, si a Deo sunt, semper sunt decentissimae, et aliquid caeleste prae se ferunt. Si quid autem in iis dedeceat, vel ad aliquam minus puram voluptatem incitet, certissimum signum est quod ab illudente diabolo veniant, qui et ipse talia corpora potest effingere. Contra ubi bonus Spiritus dat apparitiones, omnes pravae voluptatis motus evanescunt.

Quid faciendum ei cui tales corporeae visiones incidunt? « Sciat ille, ait P. Alvarez, hanc » apparitionem visibilem esse omnium infi» mam, et illusioni diaboli magis expositam. » Est quidem infima, ex eo quod sensibus » exterioribus percipitur, qui imaginatione et » intelligentia longe sunt imperfectiores : nisi » forte visioni corporali intellectualis conjun» gatur, ut in apparitione Angeli Gabrielis ad » B. Virginem. »

» Sciat etiam has apparitiones ad veram » sanctitatem non spectare... Dantur hae oc» culto et justo judicio Domini, tum bonis, » tum malis. Pharao enim et Balaam, Nabu» chodonosor et Balthasar visum viderunt... » Saepe etiam visiones istae sunt falsae et » illusoriae; saepe enim ex vehementi appre» hensione, et ex melancholia proveniunt. » Dato etiam quod sint verae, per se merito» riae non sunt, sed ex bono earum usu tan» tum. Saepe denique sunt signa cordis duri, » et hominis huic mundo nimis addicti, qui » tam extraordinariis mediis indiget vocari. »

« Sciat denique apparitiones istas neque » appetendas esse, neque postulandas, sed si » inciderent, humiliter fugiendas, rogandus» que Dominus, ne nos his insuetis rationibus » sed mediis ordinariis et solidioribus, si ita

» suae divinae Majestati visum fuerit, nos-
» tram salutem promoveat..... Haec autem
» media sunt amor Dei et proximi, exacta
» legis ejus custodia, solida virtus, abnegatio
» nostra, contemptus saeculi, et alia hujus
» generis, non vero apparitiones et revelatio-
» nes, in quibus multum solet esse periculi,
» et non multum utilitatis. » Hinc intelligi-
tur cur S. P. N. de talibus cum Nostris non
misceret sermonem.

« Primum remedium, ait S. Vincentius
» Ferr., contra tentationes spirituales, quas
» procurat diabolus in cordibus aliquorum,
» est quod illi, qui volunt se subdere Deo,
» non desiderent per orationem vel contem-
» plationem, vel per alia opera perfectionis,
» visiones, vel revelationes, vel sensus qui
» sunt supra naturam,... quia praedictum de-
» siderium non potest esse sine radice super-
» biae et praesumptionis, vel intentionis ali-
» cujus vanae curiositatis circa Deum, vel
» sine fragilitate fidei. Justitia dimittit ani-
» mam, quae habet antedictum desiderium,
» et permittit eam venire in talem illusionem
» et tentationes diaboli per falsas visiones et
» revelationes. »

Cui tales visiones sunt, is perito confessario
vel prudenti viro spirituali penitus illas ape-

riat cum sensibus quos inde experitur, et ejus, ni velit a diabolo decipi, judicio humiliter se subjiciat.

Undecimus gradus : *Apparitio Christi et Sanctorum imaginaria.* « Apparitio imaginaria illa » est, ait P. Alvarez, qua aliquid divinum ac » caeleste imaginationi videndum proponitur, » non minus clare, quam si corporeis oculis » cerneretur. Fit autem haec apparitio per » species seu figuras et imagines rerum, quas » jam habemus, vel per novas imagines a Deo » vel Angelis proxime immissas, quas nun- » quam antea recepimus. Est quoque admo- » dum distincta ab imaginationis functione, » quam nos ipsi secundum naturam elicimus. » Haec enim visio subito et sine ullo labore » cogitationi orantis offertur, a qua, licet ho- » mo velit, ea durante nunquam distrahitur, » et vehementissime ad affectum a Deo inten- » tum allicitur; atque tam clara et intensa » est, ut res proposita spectari oculis, et vox » ejus auribus ipsis corporis audiri videa- » tur... Apparitio haec vel fit immediate a » Deo imaginationem movente et illuminante; » vel ab Angelo, qui etiam movendi imagina- » tionem hominis habet potestatem. Quando » vero fit a daemone, qui pro naturae suae » perfectione, quam per peccatum non amisit,

» potest hominis imaginationem movere, non » appellatur revelatio aut apparitio, sed illu- » sio. »

Per species imaginationi impressas homini apparet Deus, ut per species illas tanquam similitudines perfectionis suae innotescant. Sic Danieli (7, 9) se exhibuit, apparens *antiquus dierum* ad notandam aeternitatem, cum *vestimento candido* propter sanctitatem, etc.

Visiones illae imaginariae vel in vigilia, vel in somno, vel in ecstasi, vel in raptu accidunt.

Duodecimus gradus : *Visio intellectualis*. Duabus praecedentibus visio haec multiplici ratione supereminet : 1. Tota spiritualis est *mera* visio intellectualis, nec quidquam ex parte sensuum exteriorum, phantasiae aut imaginationis ei admiscetur. 2. Solus Deus, si *mera* sit, potest eam immittere; si autem in ea Deo ministret Angelus, id tantum fit quando nondum est, vel quando desinit esse *mere* intellectualis. Initio enim quandoque per visionem imaginariam ascensus fit ad intellectualem, aut in fine visioni intellectuali imaginaria conjungitur. Cum igitur visioni mere intellectuali intervenire Angeli nequeant, quia non possunt sine sensibus, sine phantasmate et imaginatione agere, sequitur, ut bene advertit S. P. N. in reg. de disc. sp., impossi-

bilem esse in ea diaboli illusionem. Idem autem dici nequit, ubi visioni mere intellectuali imaginaria incipit supervenire.

Visio igitur intellectualis est aperta quaedam rerum divinarum aut caelestium manifestatio, quae soli intellectui inspiciendae objiciuntur.

Dixi *rerum divinarum;* nam primo et principaliter per visionem intellectualem anima intuetur Deum, et ea quae pertinent ad divinae naturae Unitatem Personarumque Trinitatem (quod tribus etiam sequentibus gradibus commune est). Hanc visionem, et per raptum unius hebdomadae, et saepius in SS. Sacrificio S. Ignatius habuit.

Dixi *rerum caelestium;* quia in visione ab anima contemplante videtur sive Christus Dominus, sive B. Virgo, sive aliquis Sanctorum aut Angelorum, et haec omnia sine imagine corporali; videntur, ut accidit Ignatio in condendis Exercitiis et Constitutionibus, multae veritates ad fidem vel ad mores pertinentes.

Ultimae autem illae visiones duobus modis, quorum prior posteriori multo perfectior est, fieri possunt. Nimirum

1° Obscure et quasi confuse : cum scilicet, ut ait P. Alvarez, anima nullam imaginem, nullamque faciei aut staturae corporis Christi

formam videns, cum prope se vel intus in corde esse cognoscit, majori certitudine, quam si corporeis oculis illum videret; ex quo in ea oritur maxima reverentia, et ardentissimus in eum amor, magnum ipsi placendi desiderium, et exactissima cura in nulla re quantumvis minima a voluntate ejus divertendi.

2° Animae contemplanti Christus apparet, non amplius quasi in nube, sed clare et distincte, ita ut veluti intuitive videatur. Intuitio haec medium tenet inter cognitionem fidei donumque ipsum Sapientiae ex una parte, et ex altera beatificam visionem Sanctorum in patria. Cum hic non aurora tantum, aut sol obumbratus, sed sol ipse, licet imperfecte, exhibeatur, patet in hac contemplatione requiri, non equidem oculum gloriae beatis in caelo necessarium, sed oculum robore magno obfirmatum, qui fide et donis ipsis Spiritus Sancti superior existat.

Tertius decimus gradus : *Visio Dei in caligine.* Sicut visiones praecedentes ad secundum punctum contemplationis de amore spirituali, sed in via extraordinaria, referri possunt, scilicet ad divinam praesentiam, ita hic gradus quarto puncto ejusdem contemplationis convenire videtur. In hoc enim gradu, anima veritates etiam arcanas, res creatas omnes

caeli et terrae, humanitatem ipsam Christi, immo et distinctas Dei perfectiones in specie transcendens, per mirabilem supernam illuminationem oculos suos in ipsam unam, simplicem et infinitam Dei essentiam intendit, quod et duobus sequentibus gradibus proprium est, sed cum crescente perfectione. Hic multo majora quam ante videntur, ita ut animus mirabiliter illustrationibus et affectibus satietur. Ergo videt, et videt ineffabilia; sed cum quod infinitum est ei appareat, sentit id quod non videt, et immensitate divinae essentiae, divinae majestatis ac bonitatis, velut delicioso pondere quasi opprimitur. Attamen in hoc gradu magnifica illa et inenarrabilia adhuc in caligine ei apparent. *Inclinavit caelos, et descendit, et caligo sub pedibus ejus... Et posuit tenebras latibulum suum* (Ps. 17, 10, 12). Tenebrae quidem in Deo non sunt ullae, sed nobis ignorantissimis ad divinam ejus essentiam aditus non est. *Qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* (1 Tim. 6, 16). Anima igitur « nihil videt, ait » P. Alvarez, sed id quod totum est, et extra » quod nihil est, sibi videndum et amore am- » plectendum proponi cognoscit. Igitur non » videndo, videt; et videndo non videt; quia » velut quamdam obscuritatem, et quamdam

» nebulam omnem lucem contegentem appre-
» hendit. Unde non videt, quia obscuritas non
» videtur; et videt, quia immensa lux, quasi
» tenebris cooperta conspicitur. »

Audiamus Dionysium Richelium (in Exod. art. 42), de hoc gradu disserentem : « Haec
» namque caligo est, aeternae, increatae,
» infinitaeque lucis divinae superexcellens,
» incomprehensibilis et superplenissima ple-
» nitudo abyssalis, interminabilis, atque su-
» persimplicissima magnitudo, in qua Deus
» esse et habitare censetur, qui ponit tene-
» bras, id est infinitam hanc lucem omnem
» creatarum mentium capacitatem infinite
» transcendentem ac superantem, latibulum
» suum : et ipsae divinae tenebrae cooperiun-
» tur et absconduntur omni visioni ac lumini
» ob incircumscriptibilem suam plenitudinem
» prorsus impenetrabilem et immensam. Cum
» itaque mens aestuantissimo caritatis ardore
» succensa Deo ita conjungitur per contem-
» plationem theoricam, et sapientiam lumi-
» nosam, flammigeram, unitivam, dicitur
» introire caliginem, instarque Moysis ab om-
» nibus separari. Unitur enim Deo tanquam
» prorsus incomprehensibili, et quoad quid
» est mere ignoto : et tamen hoc ipsum sic
» intueri, est clarissime et suavissime con-

» templari, speciesque altissima contempla-
» tionis huic vitae possibilis *(addito saltem*
» *sequenti gradu)*. Idcirco tota in lucem illam
» tam infinitam expanditur, increatae veritati
» infigitur, superessentiali Deitati, et super-
» beatissimae Trinitati tam radiose, amorose
» et proxime copulatur, quod aliud nihil ad-
» vertit, nec proprium actum attendit, sed
» defluit a seipsa, atque in proprium refluit
» fontem. Sicque in divitias gloriae rapitur,
» in amoris increati, immensi igne comburi-
» tur, in Deitatis abyssum profunditur, et
» absorbetur, ut videatur quodammodo esse
» creatum exuere, et increatum idealeque esse
» induere, non quod substantia mutetur, aut
» proprium esse tollatur, sed quoniam modus
» essendi, qualitasque vivendi deificatur, hoc
» est, Deo et superbeatissimae beatitudini ejus
» supernaturaliter et gratiosissime assimila-
» tur, sicque eminenter impletur illud Apos-
» toli : *Qui adhaeret Domino unus spiritus est.* »

Quartus decimus gradus : *Admiranda manifestatio Dei.* Haec est altissima contemplatio possibilis in hac vita. Hic caligo disjicitur et obscuritas dissipatur; hic Deus licet non in sua claritate et majestate (quod Beatis in caelo reservatur : *facie ad faciem),* tamen in quodam gustu experimentali sentitur, et ma-

gis attrectatione (ut ita dicam) quam inspectione videtur.

Praecedens gradus dubiae luci crepusculi similis est; hic, de quo agimus, aurorae; sequens autem visionis Beatorum, luci meridianae.

Eximia quae de hoc gradu conscripsit P. Alvarez audiamus. « Inchoemus autem ab illo: « *En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera* » *amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* » *Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit.* » Dilectus ad animam loquitur, quia ea post » multam abnegationem, post indefessum virtutum studium, post multa desideria et suspiria ad osculum oris vocatur. Nominat » autem animam amicam propter gratiae sanctitatem, columbam propter rectissimae intentionis simplicitatem, formosam propter » sanctorum affectuum ornatum. Jubet ut surgat, id est, ut supra omnia creata, ac similitudines creatorum, et supra semetipsam ascendat, et universa visibilia et invisibilia » derelinquat. Jam est tempus surgendi, quoniam ad modum hyemis et imbrium apparitiones omnes, et ecstases et raptus, et caligines abscesserunt, et venit veris cujusdam » clara serenitas et secura tranquillitas, in qua » aeterna Majestas modo ineffabili videatur.

» Atque imprimis dantur animae oculi, qui-
» bus Deum videat, id est lumen supernatu-
» rale et divinum, quod ad tantam ac tam
» mirabilem visionem sufficiat. Hoc non est
» lumen fidei, nec lumen sapientiae tantum :
» quod ad sic videndum parum est. Non est
» etiam lumen gloriae, quod patriae caelesti
» servatum est. Datur etiam illi species quae-
» dam Deum perfectissime repraesentans,
» quae non per sensus ingreditur, neque a
» sensibilibus accipitur, neque ex aliis formis
» praehabitis componitur, sed recenter intel-
» lectui infunditur. »

« Animae in hoc contemplationis gradu im-
» mittitur quaedam perfectissima notitia, et
» veluti imago Dei, non quidem ab ipsa con-
» sideratione bus et discursibus elaborata, sed
» subito Dei ipsius virtute et miseratione in-
» fusa, qua supernaturali modo in intimis re-
» cessibus suis (recole hic figuram cristalli a
» S. Teresia expositam) clarissime cognoscit
» et quasi videt perspicacius quam si oculis
» corporeis lucem corpoream videret. Videt,
» inquam, Deum ut unum et ut trinum, et
» quomodo Pater generat aeternaliter et inva-
» riabiliter Filium, et Pater et Filius, ut
» unum idemque principium, spirant Spiritum
» Sanctum, et quod hae tres personae sunt

» una natura unaque substantia, et quod sunt » in infinitum similes et aequales. Et quo- » modo omnia creata ab illis tanquam ab uno » Creatore procedant, et quomodo ipsam ani- » mam inhabitent, et quam verum sit illud » dictum Domini de eo qui diligit et mandata » custodit : *Ad eum veniemus, et mansionem apud » eum faciemus* (Jo. 14, 23). Haec igitur omnia » et multa alia simul et uno intuitu in Deo » videt; videndo autem igne ardentissimi » amoris incalescit. »

Visio haec interdum per modum habitus datur, immo quandoque usque ad mortem, non tamen semper cum eadem intensione. Sufficit tunc ut anima se colligat ad Deum in interioribus suis, ut Domino visione et affectione juncta persistat. Hunc statum fuisse S. P. Ignatii evidenter apparet ex iis scriptis quae non cum ceteris combussit ante mortem, quia, Deo volente, ea non invenit. Haec sententia est et P. Alvarez, qui dicit : « Ad hunc » autem gradum contemplationis existimo » pervenisse, atque in eo multo tempore per- » mansisse Beatum Patrem nostrum Igna- » tium; qui, sicut ex vita ejus, et multo magis » ex quibusdam manuscriptis codicibus, quos » legi, manifeste colligitur, Sanctae Trinitatis » praesentia ita clarissime illustrabatur, ut

» hoc donum visionis, et perpetui amoris cum » depascentis, assecutus videatur. » Vidit praeterea S. P. quomodo Jesus Christus in SS. Eucharistia delitescat.

Ex his finge tibi modum a nostro incredibiliter diversum, quo S. Ignatius contemplationem de amore spirituali peragebat.

Ex his collige quantum ea quae a P. Alvarez compendiose mutuati sumus, non solum ad contemplationem de amore spirituali, sed et ad regulas de discretione spirituum vere et intime intelligendas necessaria sint. Quamvis enim dona supernaturalia non ex professo nominet S. P., eaque sub generali consolationum voce designet, tamen dona illa subintelligit, medullam tanquam sub cortice. Quae suo loco luce clarius apparebunt.

Quintus decimus gradus : *Visio clara et intuitiva Dei. Videmus nunc per speculum et in aenigmate, tum autem facie ad faciem.* Cum autem gradus ille ad aeternam vitam, non ad scopum nostrum pertineat, illum hic omittimus, et ad methodum in quarta hebdomada servandam properamus.

Methodus contemplationis

in hac quarta hebdomada

Quemadmodum tria in singulis punctis contemplationum secundae hebdomadae considerandā proposuit S. P., quae ab eo puncta vocantur, scilicet, personas, verba et actiones; quemadmodum in tertia hebdomada tribus illis tria nova superaddidit, ita et in quarta hebdomada tribus praedictis duo tantum nova adjungit, quae sunt nonnihil nunc perpendenda.

Quartum punctum, ait S. P., *considerare quomodo Divinitas, quae videbatur se abscondere in Passione, apparet et ostendit se nunc tam miraculose in sanctissima Resurrectione, per veros et sanctissimos ejus effectus.*

Si ea quae de contemplatione etiam extraordinaria diximus attente recolamus, sole clarius apparebit, quam mire S. P. ad summam etiam sanctitatem et altissimam contemplationem per sua Exercitia animam praeparet ac disponat.

Ut oculus Deum videre possit, primum est ab omni sorde et impuritate mundandus : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hoc fieri curavit S. P. in prima praesertim

hebdomada, in qua non peccatis solum quibuscumque, sed et inordinatis affectionibus implacabile bellum indixit. Purificatae autem animae sensibus et imaginationi sanctissimam Christi humanitatem absconditae Divinitati conjunctam exhibuit, ut eam non diligeret tantum, sed et ejus virtutes omnes in gradu etiam heroico imitaretur, et sic ad altiora se disponeret. Ubi autem exercitans ita purificatus se totum divino servitio ex amore mancipavit, ubi ad sequendum Christum etiam in tertio humilitatis modo sincere se obtulit, ei S. P. in quarta hebdomada Divinitatem exhibet, primo quidem non solam in se, sed in sacratissima Christi humanitate fulgentem. Tandem coronidem operi impositurus, Deitatem ipsam primum cum relatione sua ad creata omnia facta propter hominem exhibet, deinde ad summum mysticae Jacob scalae gradum pertingens, Deum ipsum unum et trinum infinitae perfectionis exercitanti revelat, eumque in abyssalem divinae Essentiae oceanum ita immergit, ut creatarum rerum omnium suique ipsius oblitus, per praegustatam caelestium incolarum felicitatem, Deo infinite bono fruatur, atque in posterum nil extra eum velit et concupiscat. Quis non videat apertam exinde viam, etiam ad extraor-

dinariam contemplationem? Unum adhuc restat, scilicet lumen divinum subito a Deo infusum; quod quidem eminentissima gratia est, non tamen optanda, et multo minus postulanda aut quaerenda. Qui se ea dignum existimaret, esset eo ipso ea indignus.

Divinitas, ait S. P., *quae videbatur se abscondere in Passione.* Quare se abscondebat? Nempe ut posset sanctissima Christi humanitas tantis ignominiis, subsannationibus et tormentis objici. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent* (1. Cor. 2, 8), Non tamen ait S. P. *quae se abscondebat,* sed *videbatur se abscondere;* nam Pilatus et principes praesertim sacerdotum, si cordis aliquam rectitudinem habuissent, non tantum suspicati essent, sed ex humili et supercaelesti dignitate, patientia, mansuetudine Christi atque ex divinis ejus responsis, eum esse Deum agnovissent.

Apparet et ostendit se nunc (Divinitas) *tam miraculose in sanctissima Resurrectione, per veros et sanctissimos ejus effectus.* In corpore nimirum ejus paulo ante vulneribus dilaniato et sputis foedato resplendent claritas, agilitas, subtilitas et impassibilitas. Ei visibiliter famulantur Angeli, ad quorum conspectum prostrati ejus inimici facti sunt velut mortui.

Audiamus Bellecium mirabiles illos Resurrectionis effectus exhibentem : « Qui antea » *inops* erat *et pauper, nunc dives est,* et *Dominus* » *universae terrae*. Qui nudius tertius non erat » nisi *vermis, opprobrium hominum et abjectio* » *plebis,* modo *gloria coronatus* ascendet super » omnes caelos, et sedebit *ad dexteram Majes-* » *tatis in excelsis*. Qui olim erat *vir dolorum,* » *sciens infirmitatum* et in quo *a planta pedis us-* » *que ad verticem non erat sanitas,* is nunc Sam- » sone fortior, inferni *portas aereas confregit,* » *et vectes ferreos confregit, expolians principatus* » *et potestates*. Cui prius *non erat species neque* » *decor,* quique erat *quasi leprosus et percussus a* » *Deo et humiliatus,* ejus nunc facies *resplendet* » *sicut sol,* estque ita *speciosus forma,* ut nos- » trorum olim sensuum beatitudo in caelis sit » futura. Cujus anima paulo ante erat *tristis* » *usque ad mortem,* is modo concinit : *Conver-* » *tisti,* o Pater, *planctum meum in gaudium mi-* » *hi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti* » *me laetitia, ut cantet tibi gloria mea*. Quem » *occiderunt suspendentes in ligno,* is *surrexit a* » *mortuis,* et corpus ejus fulget nunc, *et fulge-* » *bit in perpetuas aeternitates,* quatuor illis Bea- » torum dotibus ornatum, ob quas ei *mors* » *ultra non dominabitur*. Enimvero *gloriose mag-* » *nificatus est*. Dux noster *equum et ascensorem,*

» nempe carnem, mundum et daemonem *de-*
» *jecit in mare* rubrum sanguinis sui, *palam*
» *triumphans in semetipso.* »

Quintum punctum, ait S. P., *speculari* (id est, attendere et cum suavi gustu, defixa attentione, considerare) *officium consolandi (suos), quod Christus Dominus noster exercet : et comparando, quomodo solent amici amicos consolari.* Ex hoc officio nova eaque suavissima Cordis Jesu oritur notitia, qua affectus exercitantis in Jesum (qui finis maxime a S. P. intenditur) mirum in modum crescit. Si autem ii considerentur quos consolatur Jesus, multo magis etiam apparet Cordis ejus benignitas et piissima misericordia. Etenim quod bonus sit filius, et Matrem amantissimam soletur, nemo mirabitur; sed quod Apostolis, qui eum in sua passione dereliquerunt et resurrectionem ejus credere noluerunt, quod maxime Petro, qui eum post tanta amoris pignora ejuravit, solatia praebeat, sicut amicus amico fidissimo, immo sicut mater amantissimo filio : quis inde ineffabilem Cordis Jesu bonitatem et effusam misericordiam non agnoscat, quis non ruat in amplexum tam benigni Salvatoris nostri Dei? Quantum ad unionem haec juvent, quis non videt!

His de punctis contemplationum expositis,

ad notas nunc quas pro hac hebdomada conscripsit S. P., veniamus.

Notae quatuor

Prima nota instructori, servatis servandis, amplissimam elargitur facultatem, ut, bono semper intentus, pro dispositione et aliis circumstantiis exercitantis, vel ex alia Deo probata ratione, contemplationes vel premat vel dilatet.

In contemplationibus sequentibus (scil. post Resurrectionem), ait S. Ignatius, *procedatur per omnia Mysteria Resurrectionis, eo modo qui infra sequitur, usque ad Ascensionem inclusive, prosequendo et servando de cetero in tota hebdomada Resurrectionis eamdem formam et methodum quae servata fuit in tota hebdomada Passionis.* Cum multa hic sint ab iis diversa, quae in tertia hebdomada praescripta sunt, videamus in quo consistant *forma et methodus* quae ex tertia hebdomada sunt servandae. Continuo respondet S. P. uniformitatem illam quatuor complecti : 1. Praeambula, 2. Quinque puncta, 3. Additionum observationem, 4. Contemplationum condensationem vel dilatationem : *Ita ut per hanc primam contemplationem Resurrectionis se regat contemplans quantum ad* (tria) *praeam-*

bula, juxta subjectam materiam, — et quantum ad quinque puncta, sint eadem (in omnibus Mysteriis); — *et Additiones quae habentur* (attemperatae) *infra, sint eaedem; — et sic in reliquis omnibus potest se regere juxta modum hebdomadae Passionis.* Quae *reliqua* legenda sunt in tertia hebdomada, et vix non omnia ipsemet continuo recenset, cum addit : *ut in repetitionibus, in sensuum applicationibus, in abbreviandis vel extendendis Mysteriis.* Ut autem ultimorum istorum verborum sensus et virtus rite percipiantur, eadem fusius tractata recolantur necesse est, quae in nota ad calcem Mysteriorum Passionis a S. P. exposita sunt. Sic ibi dicit : *Qui voluerit magis abbreviare tempus, assumat media nocte cenam, et in aurora hortum etc... ita ut non faciendo repetitiones, neque applicationem sensuum, faciat quinque exercitia distincta, et in quovis exercitio distinctum Mysterium Christi Domini nostri contempletur.*

Ergo triplici modo procedi in hac hebdomada poterit : 1° Ut fieri solet, duo mysteria dabunt duo prima exercitia; dein in tertio et in quarto fient repetitio et applicatio sensuum. 2° Si instructor tempus voluerit producere, poterit unum Mysterium in partes scindere, quarum singulae suum habebunt exercitium. 3° Si e contra tempus voluerit

contrahere, poterit aut tria aut etiam quatuor nova Mysteria dare, omissis etiam omnino repetitione et applicatione sensuum. Talis propria est Exercitiorum S. Ignatii amplitudo. Unum enim magnus ille vir intendit, animae profectum : jam vero huic ad profectum conveniet protrahere Exercitia, illi e contra, contrahere. Huc recidit illud (ANNOT. 18) : *ne homini rudi* vel exiguae complexionis *tradantur ea quae commode (sc. suaviter) ferre non possit, et quibus* (propter modo dicta, vel propter defatigationem) *non possit proficere.*

Secunda nota, *communiter* (ergo quandoque plus fit) *in hac quarta hebdomada magis convenit quam in ceteris* (ergo in ceteris id fiet, profectus ratione semper habita) *tribus praeteritis, facere quatuor exercitia, et non quinque* (ut pro natura Mysteriorum sit gaudio locus plus quam labori, et ut mens per facta exercitia fatigata paululum sublevetur); *primum, statim ut quis surrexerit mane; secundum ad horam Missae, vel ante prandium, loco primae repetitionis; tertium ad horam Vesperarum, loco secundae repetitionis; quartum ante cenam trahendo quinque sensus super tria exercitia ejusdem diei* (sive tria distincta, sive duo tantum cum repetitione tradita fuerint Mysteria), *notando et moram faciendo in partibus principalioribus, et in*

quibus senserit majores motiones, et gustus spirituales. Cum enim anima ad unionem saltem ordinariam tendat in hac hebdomada per contemplationem Divinatis in sanctissima Humanitate Christi radiantis, et contemplatio Divinitatis caelestem annexam habeat delectationem, utpote quod Deitas hic se praesentem cum magna bonitate et effusione se exhibeat, labor hic non adest, vel si adest, non sentitur, immo et dulcescit; a fortiori non est iis hic insistendum in quibus desolationem senserit, quod non minus in hac hebdomada esset inopportunum, quam in prima aut in tertia de rebus laetis ac jucundis cogitare. De resplendente hic divinitate Christi dici potest cum Thom. Kemp. (3, 5). « Eia, Domine » Deus, amator sancte meus, cum tu veneris » in cor meum, exsultabunt omnia interiora » mea. Tu es gloria mea, et exsultatio cordis » mei... Nihil dulcius est amore, nihil jucun- » dius, nihil plenius, nec melius in caelo et » in terra; quia amor ex Deo natus est, nec » potest, nisi in Deo, super omnia creata » quiescere... Dilata me in amore, ut discam » interiore cordis ore degustare quam suave » sit amare, et in amore liquefieri. » Ubi semel Apostoli Christum redivivum viderunt, hyemis desolatio in iis cessavit ex manifesta-

tione Divinitatis Christi, et tantum abfuit ut eis Christus desolationem injiceret, ut corda eorum ipse tenerrime et jucundissime permulceret : *Gavisi sunt discipuli viso Domino.* Non aliter exercitans se habebit, si sibi praesentem fecerit Divinitatem in Christo, manifestantem se per tam dulces et tam mirabiles effectus. Si labor hic intervenit, is est de quo mystici theologi meminerunt, ardentia scilicet suspiria, quibus purissimum et ardentissimum Dei amorem quasi vi in se attrahant et ad eximia etiam Dei dona se disponant.

Tertia nota, *quamvis in omnibus contemplationibus data sint tot puncta numero certo (definita), puta tria vel quinque, etc., ille tamen qui contemplatur potest ponere plura vel pauciora puncta, prout melius se habere reperiet. Ad quod multum juvat, priusquam quis intret in contemplationem, conjecturare (praevidere conjectura probabili) et definire puncta, quae assumere debet, certo numero.*

Patet hic agi non de tribus, aut sex aut quinque punctis quibus S. P. in tribus ultimis hebdomadibus contemplandi methodum circumscribit, sed de punctis quae ipsam contemplationis materiam dividunt : sic in meditatione de triplici peccato tria ponuntur, in meditationibus de peccatis propriis et de

inferno quinque, etc. Unde recte subnotat R.P. Roothaan : « In hoc punctorum numero conjec-
» tura probabili praevidendo ac definiendo,
» itemque fructu, qui potissimum quaerendus
» sit, determinando, praecipue consistit illa
» quam quotidie ante nocturnum examen ex
» majorum nostrorum instituto facere sole-
» mus : *praeparatio ad matutinam meditationem*
» (CONGR. 7, DECR. 25). »

Quare dicit S. P. *conjecturare,* quod inutile videtur, ubi sequitur *definire?* Quia scilicet in ipsa meditatione, puncta illa ante definita saepe nec absolventur, nec erunt necessaria; forte sufficiet primum et in eo sistetur juxta quartam additionem : « In puncto in quo
» invenero id quod volo, ibi quiescam, sine
» anxietate progrediendi ulterius, donec mihi
» satisfaciam. » Forte etiam quia cum magno profectu Spiritus Sanctus ad alia, quam quae parata sunt, attrahet animam; quod facilius fiet in contemplatione affectuosa et maxime in contemplatione extraordinaria. Non igitur in vitium vertat quis et doleat quod, dum suaviter quiescit in Deo et cum eo humiliter et cum fiducia colloquitur, omnia etiam praevisae meditationis puncta omittat. Cur pedibus laboret viator, qui terminum itineris jam attigit?

Quarta nota : *In hac quarta hebdomada, inter omnes decem Additiones mutari debent secunda, sexta, septima et decima.*

1. *Secunda erit, statim ut excitor a somno, ponere ob oculos contemplationem, quam facturus sum, volendo affici et exhilarescere de tanto gaudio et laetitia Christi Domini nostri.* Magnum ista supponunt Christi amorem ex praecedentibus Exercitiis conceptum et indesinenter jam magis ac magis inflammandum, ut purissimus ardentissimusque tandem evadat et ad optatissimam unionem conducat. *Affici* respicit ipsam Christi dilectionem; *exhilarescere* vero effectus est quasi ex amore erumpens, suavissimum nempe gaudium, quod et in vultu et in sensibus sese manifestat : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (Ps. 83, 3) et in Jesum redivivum. *Defecit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum* (Ps. 72, 26).

Exhilarescere de tanto gaudio et laetitia Christi, non de mea propria laetitia, quod purissimo Christi amori et abnegationi propriae esset contrarium, et ad veram unionem, quae hic quaeritur, non conduceret. Qui enim ad unionem perveniunt, sui obliviscuntur, atque magna pro Jesu pati ac facere exoptant, neque ullo modo propriae laetitiae student. Immo

S. Joannes a Cruce, magnus ille contemplator, ei qui magnos a Deo et extraordinarios favores, ut ecstases, raptus, etc. accepit, enixe commendat, ut talia in memoriam sibi non revocet, nisi in quantum ad purum amorem accendendum provocent : secus ab unione deficiet, quae sine perfecta sui ipsius abnegatione et donatione non consistit.

2. *Sexta, memoriae objicere, et cogitare res quae movent ad delectationem, hilaritatem et lactitiam spiritualem* (eo sensu quem modo diximus), *ut de paradiso : desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*. Sed ad hoc desiderium magnus requiritur amor in Jesum, et magna, ut aiebat R. P. Roothaan, animae puritas.

3. *Septima, uti claritate (lucis), et commoditatibus tempestatis, ut veris et aestatis tempore, refrigerio (aurae, herbarum, florum), et, hyemis tempore, sole, vel ignis calore, in quantum anima existimat, vel conjectura supponit sibi posse esse adjumento ad gaudendum in Creatore et Redemptore suo*. Ea tantum enumerat S. P. quae spiritualibus viciniora sunt, et a quibus anima facilius potest ad Deum suaviter ascendere, non vero ea quae ad naturalem aut etiam sensualem satisfactionem inclinarent, aut dissipationem parerent, ut usum vini lautitiarumque, aut colloquia, etc.; atque in illis ipsis

quae enumerat, vult regula Fundamenti servetur *in tantum in quantum,* a quo vir spiritualis, si vult ad unionem pervenire, declinare nunquam potest. Ideo dicit Ignatius esse gaudendum non propter seipsum, sed *in Creatore et Redemptore suo :* in quibus verbis iterum S. P. duplicem puri amoris stimulum submittit.

Eximie ad haec dixit R. P. Roothaan : « Valde notanda sunt verba infra posita : *in* » *quantum anima existimat... sibi posse esse adju-* » *mento;* ut meminerimus non nisi *media* haec » esse ad finem, et eatenus solum adhibenda, » quatenus ad finem profutura existimentur, » non amplius. Regula enim Fundamenti » semper et ubique in suo vigore tenenda est. » — Notandum item quod dicitur de fine in » hac hebdomada nobis proposito : *ad gau-* » *dendum in Creatore et Redemptore suo.* Absit a » nobis quidam alius laetitiae sensus, quasi » de labore longi itineris tandem ad finem » vergente in hac postrema Exercitiorum heb- » domada ad quietem adspirantes gaudea- » mus! A quo sensu nimium naturali et hu- » mano, incredibile dictu est, quantum saepe » quidam minus cauti detrimentum capiant, » jam illis ultimis diebus, quibus maxime fer- » vere animos aequum esset, relaxantes sese » ac tepescentes, et incipientes jam tum de-

» perdere salutaria illa sensa, quae in praecedentibus Exercitiis, spiritu Dei afflante, » non sine labore conceperant; maximo sane » christianae ac religiosae perfectionis damno, » nec facile deinceps reparando. »

4. *Decima, loco poenitentiae, attendat ad temperantiam et ad tenendum medium in omnibus, nisi (sit tempus quo) praecepta sint jejunia, vel abstinentiae, quas Ecclesia indicit : quia haec semper impleri debent, nisi adfuerit justum impedimentum*. Etenim, ut legitur in decima Additione, poenitentiae primo fiunt *ad satisfaciendum pro peccatis*, et annexum habent dolorem cum poena et cordis contritione; qui sensus cum requisita hujus hebdomadae laetitia non leviter pugnat. *Media ad finem. Omnia tempus habent* (Eccle. 3, 1). In quarta hebdomada, desponsatae sibi animae adest gloria coronatus sponsus Jesus. Porro cum dixissent Pharisaei ad Jesum : *Nos jejunamus frequenter; discipuli autem tui non jejunant; ait illis Jesus : Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt* (Matt. 9, 15).

De prima contemplatione

Quomodo Christus Dominus apparuit Dominae nostrae.

Ex hoc titulo, in quo de sola hac apparitione agitur, nil vero de limbis et de ipsa Resurrectione, singularis eminet S. Ignatii erga eam quam libenter vocat Dominam nostram reverentia et dilectio. Nec aliud in fine libelli dicit inter Mysteria; ibi haec sola quasi delibando scribit : *Primo apparuit Virgini Mariae; quod licet non dicatur in Scriptura, habetur pro dicto, cum dicat apparuisse tam multis aliis, quia Scriptura supponit nos habere intellectum, sicut scriptum est : (Adhuc et vos sine intellectu estis?)* Nihil enim quod decet non facit Jesus; jam vero nonne decuit eum Matri suae, quae superdignissima creaturarum suarum est, quae tantopere eum dilexerat quamque tam divine diligebat, quae ipsi morienti sub cruce emortua ipsa prae dolore astiterat, prae ceteris omnibus apparere? Sed et ex traditione, ut ait P. Alvarez, constat ita factum; et Christus ipse hanc fuisse primam apparitionem Sanctae Teresiae revelavit et enarravit.

Prima Contemplatio

De resurrectione Christi Domini nostri
De prima ejus Apparitione

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum *est historia, quae hic est : quomodo postquam Christus exspiravit in cruce, et corpus remansit separatum ab anima, et cum illo semper unita Divinitas, anima beata descendit ad Infernum, pariter unita cum Divinitate; unde eripiens animas justas, et veniens ad sepulcrum, et resurgens, apparuit benedictae Matri suae in corpore et anima.*

Ex his tria hujus contemplationis puncta deducentur.

Secundum praeambulum, *compositio, videndo locum, quod hic erit, videre dispositionem sancti sepulcri, et locum seu domum Dominae nostrae, respiciendo partes ejus in particulari : item cubiculum, oratorium, etc.*

Tertium praeambulum, *petere id quod volo, et erit hic petere gratiam, ut laeter et gaudeam intense de tanta gloria et gaudio Christi Domini nostri.*

Notandum hic S. Patri non sufficere gaudium qualecumque, sed tale ut anima laetetur et gaudeat *intense;* resque aliter esse non po-

terit, si exercitans in secunda hebdomada ardenter amare didicerit, in tertia vero profunde doluerit, tristatus fuerit et planxerit per octo dies, videns quomodo Divinitas in Christo quasi abscondita sineret suam sacratissimam humanitatem tanta pati. Tunc sane non de futura sua felicitate gaudebit, sed de gloria et felicitate benigni sui Salvatoris e tot suppliciis jam erepti. Ita sentiet qui ad culmen amoris a S. P. intentum pervenerit; quod si caelum exoptat, illud maxime, cum Paulo, exoptabit, ut sit *cum Christo*, tanquam dilectus cum dilecto.

Primum punctum : *Descendit ad inferos,* i. e. ad limbos, in quibus animae justae ab initio mundi Salvatorem exspectantes detinebantur. Finge te cum B. Virgine et aliis cruci adstare eo momento quo Christus voce magna exspiravit. Tunc remansit cruci suspensum sanctissimum Jesu corpus morte pallidum et exsangue. Illud adora, nam ei hypostatice conjuncta mansit Divinitas, quae illud ab omni corruptione immune servavit : *nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (Act. 2, 27). Ast eo momento quo exspirat Jesus, repente anima ejus sanctissima ex ergastulo corporis egreditur tanta circumdata gloria, tantis affluens deliciis, ut a solo Deo hoc concipi

et capi valeat. Milleni et milleni Angeli ei assistunt et victoriam ejus laeti concinunt : *Ecce vicit leo de tribu Juda* (Apoc. 5, 5). *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem* (Apoc. 5, 12).

Primo suae liberationis momento Jesus, antequam corpore resurgat, suum implet consolatoris officium. Repraesenta tibi limbos, immensum scilicet illum ac tenebricosum carcerem in partibus inferioribus terrae situm, ideoque infernum appellatum; animas justas sine numero ibi conspice congregatas atque visionem beatificam summopere desiderantes. Et ecce fulgure velocior sanctissima Christi anima unita Divinitati et Divinitatis splendoribus affulgens limbos ingreditur; tenebrae carceris illius mutantur in lucem infinite sole pulchriorem, mutantur limbi in paradisum, et justi omnes, non Jesu tantum animae, sed et ipsius Divinitatis visione beatificantur. Eorum, si potes, finge tibi laetitiam, finge admirationem, finge in Christum amorem, et ineffabilem ecstasim. Unico visionis beatificae momento illa tot annorum gravis exspectatio memoria excidit.

Inter eos, vide quid sentiant primi nostri parentes, quid Noe, quid Abraham, qui vi-

vens jam exsultavit ut videret diem Jesu, et vidit, et gavisus est; quid Isaac, figura illa Jesu ad mortem properantis; quid castus Joseph; quid Moyses, quid David, quid prophetae, qui tot ante saeculis Passionis circumstantias omnes praenuntiaverunt? Sed quid prae omnibus sentit bonus et dilectus Jesu pater S. Joseph? Eum intuere; intuere et S. Joannem Baptistam, Christi praecursorem et primum Martyrem.

Non omnes tamen aeque beatificantur, quamvis satientur omnes. Juxta contemplationem de Regno Christi, Christus omnes ac singulas animas sui triumphi et gloriae facit participes, prout laborum participes in hac vita exstiterunt. Hoc meditare, et ne verearis per tempus vitae tuae magna facere et pati pro Christo. *Quid est vita vestra? Vapor est ad modicum parens* (Jac. 4, 15)? *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (Rom. 8, 18).

Secundum punctum : sanctissima Christi Resurrectio. *Und.* it S. P., *eripiens animas justas, et veniens a sepulcrum, et resurgens.* Usque ad tertium diem anima mansit in limbis, exspectans et ipsa corporis sui glorificationem.

Tertia autem die ix adhucdum illuces-

cente, animas illas omnes divina sua potestate e limbis eripiens Christus, cum eis venit ad sepulcrum, ut, antequam resurgat, videant in suo divino corpore immensi amoris sui signa. Quid senserunt justi, cum Dei et Servatoris sui corpus inanime et a planta pedis usque ad verticem vulneribus dilaceratum conspexere? Sic ergo nos dilexisti! Ergo *occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo et natione* (Apoc. 5, 9)! *Tibi gloria, et imperium in saecula saeculorum.*

Ubi autem animae justae sacratissimum Corpus contemplatae sunt, ecce extemplo sanctissima Christi anima resumit corpus suum et redivivus ex clauso sepulcro surgit integer Jesus, quanta cum gloria! Si de caelestibus Beatis jam dicitur : *neque oculus vidit, neque auris audivit,* quid de suscitato Jesu dicendum? Quid splendori sacri Corporis comparatus sol, nisi tenebrae? Cum animabus sanctis mire stupentibus et prae gaudio exsultantibus contemplare Jesum gloria divinae Majestatis circumfusum, pro corona spinea diademate infiniti splendoris coronatum; vulnera ejus quinque, ut perennia amoris sui monumenta in aeternum mansura, immensae ac divinae gloriae radios emittentia. Quanta pulchritu-

dine jam fulget ille, qui modo sputis conspurcatus, flagellis ignominiose dilaniatus, blasphemiis et probris illusus in cruce moriebatur! Videbatur perditus : *Eradamus eum de terra, et nomen ejus non memoretur amplius*. Et ecce vicit Christus, Christus regnat, Christus imperat, et regni ejus non erit finis. En quo ducit voluntaria humiliatio et opprobriorum propter Jesum opprobriis saturatum electio! *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris*. Flecte et tu genua, et tanta gloria fulgentem videns eum qui tanta et tanto cum amore pro te passus est, prae amore gaude et exsulta. *Haec dies quam fecit Dominus; exsultemus et laetemur in ea*. Etsi non tanta, similis tamen, *gloria haec est omnibus Sanctis ejus* (Ps. 149). Nam in membra redundabit capitis gloria.

Quam vana jam sunt, quam irrita inimicorum Jesu odiosa tentamina! Illis incassum frementibus, clauso remanente et obsignato sepulcro, vigilantibus custodibus, per donum subtilitatis exivit vivum et gloriosum Corpus

Jesu. Contemplare militum terrorem. Et ecce terraemotus factus est magnus. *Angelus enim Domini descendit de caelo : et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum : erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Prae timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui* (MATT. 28, 2, SQQ.). Si ita terruit Angelus, qui servus est, quid de reprobis fiet in ultimo Adventu, cum videbunt *Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli?*

Tertium punctum. — *Apparuit,* ait S. P., *benedictae Matri suae, in corpore et anima.* Dolorosissima Virgo Mater in domum Joannis, novi sui filii, se receperat : *et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* (Jo. 19, 27). Contemplare domum illam ; repraesenta tibi cubiculum in quo flet Maria et orat. *O quam tristis et afflicta fuit illa benedicta Mater Unigeniti!* (OFF. ECCL.) Ne momento quidem diei et noctis deflere cessabat, atque inde quasi ad agoniam redacta, morti proxima prae dolore videbatur. Sic enim S. Teresiae rem ipse Christus enarravit : « A primo momento meae resurrectio-
» nis apparui sanctae Matri meae, quae, nisi
» festinassem, martyr amoris et doloris obiis-
» set. Adeo enim doloris gladius animam ejus
» transfixerat, ut non nisi post aliquod tem-

» pus hujus apparitionis spiritus resumere et » gaudium meae resurrectionis percipere po- » tuerit : cum ea autem propter necessitatem » diu commoratus sum. »

Ubi vero benedicta quasi ad vitam rediit, quanto cum amore redivivus ejus Filius suum erga eam consolatoris officium exercuit! *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam* (Ps. 93, 19). Si Deus, ut vidimus in contemplatione extraordinaria, ad visionem admirabilem Divinitatis suae praedilectas plurimas animas evehit, quid facere debuit Jesus pro matre sua benedicta? Non solius corporis sui, sed et animae gloriam ei revelavit; immo probabiliter, oculo gloriae ei praestito, suam Divinitatem contemplandam exhibuit. Quid senserit beatissima Virgo, cum ad eam proprius accessit Jesus, Angeli viderunt. *Laeva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me* (Cant. 2, 6). *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus* (Ib. 7, 10). Inenarrabilia illa sunt quae Jesus Matri suae super Sanctos omnes et Angelos benedictae contulit.

Sed et praeterea non solus Jesus adfuit Mariae. Comitabantur eum multi Angeli et animae quae e limbis ereptae fuerant; comitabantur cum corpore et anima multi illi sancti

qui cum Christo a mortuis surrexerant; inter quos forte et S. Joseph. Illos omnes videre Matri Dei procul dubio est concessum. Cogita quid senserit Maria, cum dilectum suum et virgineum sponsum S. Joseph divinae gloriae splendoribus radiantem conspexit.

Terminare uno vel pluribus colloquiis, juxta subjectam materiam. Materia autem hic subjecta colloquium innuit, non solum cum Christo, sed et cum benedicta ejus Matre, *et Pater noster,* cui, si unquam, bene addetur : *Regina caeli.*

De secunda Apparitione

Sanctae mulieres, et apparitio Mariae Magdalenae

MARC. 16, LUC. 24, JO. 21

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo tres Mariae, scil. Magdalene, Jacobi et Salome, cum valde mane venissent ad monumentum, invenerunt revolutum lapidem et viderunt Angelum, qui dixit eis : *Jesum quaeritis Nazarenum. Surrexit, non est hic.* Magdalenae autem quae, abeuntibus duabus ceteris, remanserat ad sepulcrum, apparuit Christus.

Secundum praeambulum, compositio loci. Hic erit videre sepulcrum excisum de petra.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *cunt valde mane Maria Magdalene, Jacobi et Salome ad monumentum, dicentes : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* (1)

Valde diluculo, servato ex obedientia sabbato, et *portantes aromata et unguenta,* quae emere festinaverant ante sabbatum, *venerunt* Maria Magdalene, Maria Salome et Maria Jacobi ad monumentum, ut pro ardenti suo amore iterum ungerent Corpus Jesu. Ideo arserat in earum cordibus dilectio Christi, quia morienti ei adfuerant. Erant adhuc tenebrae, *et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?*

Sanctas illas mulieres sequere, vide lacrymas quas ex amore propter defunctum dilectum suum fundunt in via, audi piissima earum verba fletibus interrupta; accensa earum corda contemplare; admirare earum fiduciam. Lapis ingens obsignatus est, vigilant

(1) Haec narratio evangelica non parvam intricationem parit interpretibus. Ordinem adhibemus qui, collatis Evangeliis, probabilis videtur, atque cum iis quae diversi Evangelistae exponunt, magis est consonus. Quod iterum atque iterum variis eventibus extraordinariis commotae Apostolos adierint feminae, quis miretur?

custodes : quomodo sacratissimum corpus ita custoditum ungere possint? Confidunt tamen. « Amor, ut ait Th. Kemp., modum saepe » nescit, sed super omnem modum fervescit... » de impossibilitate non causatur, quia cuncta » sibi posse et licere arbitratur. Valet amor » ad omnia, et multa implet ubi non amans » deficit et jacet. » Quaeritis, piissimae et amore Jesu flagrantes feminae, quis vobis revoluturus sit lapidem? Mittet Deus Angelum qui lapidem revolvat.

Et ecce audiunt magnum terrae motum, dum incedunt ad monumentum.

Secundum punctum. — Cum autem pervenerunt ad monumentum, jam fugerant perterriti custodes; *et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem* (Angelum scilicet, juvenem specie, eum probabiliter qui revolverat modo lapidem) *sedentem in dextris coopertum stola candida,* et (sicut solet fieri in supernaturalibus) *obstupuerunt. Qui* dicit illis : *Nolite expavescere,* expavescant inimici; vos autem et omnes qui quaerunt Jesum, non est quod timeatis. *Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum,* quem adstantes cruci morientem tam amanter flevistis : *Surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis*

ejus et Petro, quia praecedit vos in Galilaeam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illae exeuntes, fugerunt de monumento : invaserat enim eas tremor et pavor; et nemini (in via) *quidquam dixerunt : timebant enim.*

Cucurrit ergo Magdalene cum duabus suis sociis, *et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.* Ita, sicut postea, non attendit Angelo, sed de dilecto unice cogitat. *Tulerunt Dominum :* adest quidem immensus amor, sed imperfecta fides; debuisset firmius credere verba angeli : *surrexit.*

Conterritae tres Mariae fugerunt a monumento, sed omnia vincit amor. *Fortis ut mors dilectio... Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (Cant. 8, 6, sq.). Adhuc trementes redeunt, cum pluribus probabiliter aliis, ad monumentum. Non solus tamen tremor eas invaserat, sed ex verbo Angeli gaudium : *cum gaudio magno.* Solum, fugatis custodibus et reverso in caelum Angelo, erat sepulcrum, *et ingressae non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatae essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgente. Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas,*

quasi amanter eas reprehendentes, eo quod primo Angelo resurrectionem annuntianti et ipsius Jesu praedictioni non assentirent : *Quid quaeritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens : quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatae sunt verborum ejus.*

Ubi autem duo illi Angeli recesserunt, mulieres, excepta Magdalena quae sola remansit, *regressae a monumento renuntiaverunt haec omnia,* non hac vice solis Petro et Joanni, sed et *illis undecim et ceteris omnibus,* quos fama primi nuntii ad Petrum et Joannem convocaverat.

Tertium punctum. — Recedentibus et ad undecim euntibus ceteris mulieribus, sola, quod insignis amoris est et fortitudinis, remansit ad sepulcrum Magdalene : *Fortis ut mors dilectio. Apparuit primo,* ait S. Marcus, *Mariae Magdalenae, de qua ejecerat daemonia.* Sicut prae ceteris ovibus eam diligebat David, quam ex ore leonis eripuerat, ita et Jesus diligit eos quos peccatores faucibus daemonum eripit. Sic dilexit Mariam Magdalenam magno cum amore ad se reversam; ita et bonum latronem, ita Augustinum, ita Saulum et alios innumeros.

Contemplare Magdalenam et sanctum sepulcrum. *Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans : dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum.* Audierat ab Angelo : *surrexit;* audierat et : *non est hic;* sed amore obcaecata, nec ferre valens esse sine Jesu, stulta prae amore quaerit quem se novit non inventuram; quem tamen propter nimium suum amorem inveniet. « Magnus clamor in » auribus Dei est, ait Th. Kemp., ipse ardens » affectus animae, quae dicit : Deus meus, » amor meus : tu totus meus et ego tuus. »

Et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Quam diversa est haec vox Angelorum ab illa : *Quid quaeritis viventem cum mortuis?* Respondet quidem Magdalene, vix ad Angelos attendens; quid enim ipsi sunt Angeli, quid creata omnia prae Jesu Creatore ac Servatore suo? *Dicit eis : quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Haec cum dixisset,* audito probabiliter sonitu aliquo, *conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem : et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus,* lacrymis ejus atque amore commotus : *Mulier, quid ploras? Quid quaeris? — Illa existimans quia hortulanus esset,* audacius ei quam Angelis respondet, quasi ipsum insimu-

lans quod forte dilecti sui raptor existeret; supplici tamen verbo, ut exaudiretur, *dicit ei : si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam*. Quomodo ipsa tulisset? Sed, ait Th. Kemp., « amor de impossibilitate non » causatur, quia cuncta sibi posse et licere » arbitratur. » Tanto amore vulneratur cor Jesu : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti cor meum* (Cant. 4, 9).

Dicit ei Jesus : Maria. Nominat eam nomine suo! Quod miram signat dilectionem : *ego diligentes me diligo* (Prov. 8, 17), sed et amabilem omnipotentiam; nam eo ipso quod Jesus nosse se eam significat, seipsum ipsi revelat. Quamdiu autem Magdalene non vidit in alloquente se nisi hortulanum, vix eum respexit, sicut vix respexit Angelos, de solo Jesu anxia; at ubi Dilectum agnovit, *conversa illa dixit : Rabboni (quod dicitur Magister). Inveni quem diligit anima mea; tenui eum; nec dimittam* (Cant. 3, 4). Et revera festinat ut inventum teneat, sed *dicit ei Jesus : Noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum*, scilicet ne haereas osculando pedes meos; hoc poteris pluries antequam ascendam ad Patrem meum; mansurus enim sum ulterius multos dies in terris et saepius appariturus. Hac autem die noli diutius frui mea prae-

sentia, cogita de Apostolis meis adhuc tristibus. Igitur hinc *vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, ad Deum meum et Deum vestrum.* Quam mire ostendit hic Christus, quo loco habeat, et quam tenere diligat animas fideles, sed maxime eos qui apostolico munere funguntur: *fratres meos,* et quod est consequens, *Patrem meum et Patrem vestrum!*

Dixerat Jesus : *noli* nunc *me tangere,* ei quae jam coeperat pedes osculari. Sciebat enim Magdalenam prae gaudio et obedientia ita properaturam, ut ceteras mulieres, lentius propter turbationem et tristitiam ad Apostolos euntes, assequeretur, ut innuit Matthaeus, antequam eis appareret, ac tunc eam cum ceteris pedes ejus osculaturam. *Venit Magdalene,* ipsa secunda vice, *annuntians discipulis lugentibus et flentibus : quia vidi Dominum, et haec dixit mihi :* scilicet, *dicite fratribus meis,* etc.

In fine colloquium et *Pater noster.*

Non invenitur in scripto auctoris, vita functi antequam hoc quartum volumen typis mandaretur, meditatio de tertia Christi Domini apparitione, hoc in loco inserenda.

(Nota editoris).

Quarta Apparitio

Facta S. Petro

MARC. 16, 10, 11, LUC. 24, 10, 11, 12, 34, JO. 20, 3, SQQ.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo, postquam primo a tribus mulieribus, et secundo partim ab iisdem, sed et a pluribus aliis audierunt resurrexisse Christum, Petrus et Joannes iverunt ad monumentum festinantes; redierunt autem visis linteaminibus tantum in sepulcro; et cum cogitaret de his rebus Petrus, incedens solus, ei Christus Jesus apparuit : *(surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni).*

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit videre viam a Jerusalem ad monumentum, et monumentum ipsum foris et intus, ac revolutum lapidem.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *cum audisset ex muli ribus, Christum resurrexisse, ivit cito S. Petrus ad monumentum.*

Non ivit solus S. Petrus ad monumentum, sed cum Joanne, qui de se hoc testatur : *Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus.* Cur

igitur S. P. de Joanne tacet? An ideo quod S. Petrum maxime diligeret, qui ipsi, dum moriturus Loyolae decumbebat, apparuerat eumque a morte liberaverat? Utique amori suo hic servivit Ignatius, sed aliis ductus rationibus, Petri tantum meminit in hac contemplatione. Et primo quidem quia soli Petro hic Christus apparuit; secundo, ex reverentia erga Principem Apostolorum, quem tunc et Christus sua apparitione honoravit; tertio, quia scopus Sancti P. N. est amorem in Christum inflammare, admirabilem exhibendo consolatoris Cordis Jesu misericordiam : si etenim Joanni Virgini, Joanni quem diligebat, Joanni qui cruci solus adstiterat apparuisset, res mira non fuisset; quod autem infidelem Petrum ita consolatus fuerit, id maxime amabilem facit misericordiam Cordis Jesu; quarto, quia hinc etiam peccatoribus apparet quanta a Domino possint exspectare. Quinto denique, quia mens multo magis movetur, si ad unum applicetur.

Cum Magdalena venit ad Apostolos, invenit eos lugentes et flentes, ex quo apparet quantum diligerent Jesum eique adhaererent; sed tristitia, eos ad quamdam animi dejectionem, ad infidelitatem et fere ad desperationem adegerat, solaque servavit eos dilectio. *Illa*

vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus, et illi audientes quia vivcret, et visus esset ab ea, non crediderunt. Ait autem S. Lucas : *Et visa sunt ante illos, sicut deliramenta, verba ista : et non crediderunt illis.* Non omnes quidem ita delirare mulieres existimaverunt, et pro muliebribus somniis visiones illas habuerunt, sed plerique, auctore probabiliter S. Thoma; et id Deus permisit, ut fidem nostram firmaret, crederemusque istis prius incredulis, postea asserentibus usque ad effusionem sanguinis veritatem Resurrectionis post descensum Spiritus Sancti. At Petrus et Joannes, quae a mulieribus dicta fuerant, tam parum deliramenta censuere, ut statim ad monumentum cucurrerint. Continuo enim subdit S. Lucas : *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum.* Hinc disce mediam tenere viam inter incredulitatem et nimiam credulitatem; neque a priori, re non perpensa, gratiarum etiam extraordinariarum narrationem irrideas, quamvis haec narratio a viris aut etiam a feminis simplicibus exponatur. *Cum simplicibus sermocinatio ejus,* non cum rationalistis, aut scientia sua inflatis doctoribus. Et certe Christus, paulo ante suam Ascensionem, loquens cum suis undecim, *exprobravit incredulitatem eorum et duritatem cordis, quia iis* (scilicet mulieribus)

qui viderant cum resurrexisse, non crediderunt. (Marc. 16, 14.)

Intuere Petrum, audita Magdalena, pro indolis suae et amoris impetu currentem ad sepulcrum; admirare simplicitatem, rectitudinem, imo et fortitudinem ejus : *cucurrit ad monumentum.* Quam vellet et ipse suum Jesum videre! Sed tanta gratia se indignum reputat. « Qui merear ego Dominum videre qui ter eum tam sacrilege, cum pateretur, negavi? *Non novi hominem istum.* Non novi te Jesu, Domine mi, qui tam tenere me dilexeras. » Vide lacrymas ejus, vide contritum cor prae amore et dolore discissum; et postquam eum peccando secutus es, eum filiali ex amore dolentem imitare.

Secundum punctum. — *Currebant autem duo simul* cum mirabili cordis simplicitate; *et ille alius discipulus* (junior et vegetior) *praecucurrit citius Petro, et venit prius ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit,* sive ex naturali quodam timore, sive ob reverentiam erga seniorem Petrum. In Petro fidem, in Joanne charitatem figuratam Patres existimant, aut in Joanne synagogam, et in Petro Christi Ecclesiam gentilibus etiam praeparatam.

Venit ergo Simon Petrus, qui non linteamina

tantum, sed et sudarium prospexit, *sequens eum, et introivit in monumentum et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, sed separatim involutum in unum locum.* Vide quanta cum cura, quanto cum amore, quanta cum reverentia divinas illas Christi Domini reliquias contempletur Petrus, eas lacrymis irriget et osculetur. Utrique, Petro et Joanni, ex amore et commiseratione enascitur fides, qua ad visionem Christi Petrus praeparatur.

Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum : et vidit et credidit. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere.

Remaneas aliquantulum cum dilectis discipulis in sepulcro, et omnia cum amore contempleris; osculare linteamina, sudarium, et sanctissimum locum in quo jacuit corpus Jesu.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *cogitanti Petro de his rebus apparuit Christus : et propterea dicebant Apostoli : (Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni).*

De Petro a sancto sepulcro recedente ait S. Lucas : *et abiit secum mirans quod factum fuerat.* Unde apparet Petrum seorsim a Joanne rediisse. Ibat enim lente, secumdam irans

sanctisque cogitationibus et affectibus quasi oppressus. Ipsum sequere et respice; atque cordis ejus sensa fidei, doloris, amoris et desiderii intus relege. Via ad videndum Jesum, amans et plena suspiriis contemplatio est.

Dum ita cogitat de Jesu et ad eum suspirat, ecce illico et inexspectatus Jesus apparet Petro, vultu sereno et ineffabiliter amabili; suoque consolatoris officio fungens Simonem, omnis immemor injuriae, recreat et divinis deliciis inundat. Respice Petrum ad genua Jesu procumbentem : *Dominus meus et Deus meus!* Inspice cor Petri magno amore veniam petentis, et cor Jesu majori amore condonantis. Misericordia Jesu super omnia opera ejus. *Quam magna est multitudo dulcedinis tuae, Domine!* (Ps. 30, 20).

Videsne perfectae et amantis contritionis effectum? Vides quomodo humilis ille et filialis dolor non tantum peccata omnia tollat et abstergat, sed et ad praeclarissima etiam Dei dona suscipienda praeparet ac disponat? Vidit Jesus torrentem lacrymarum, quas ex amante et contrito corde suo in specu illo diu noctuque Petrus elicuit, et ejus misertus est, eumque plus, quam si non peccasset, adamavit. Intelligis nunc cur S. Ignatius, idem quod Petrus in se expertus, tantum in

prima hebdomada adlaboraverit ut ex intima humilitate nasceretur in te, coram crucifixo Jesu, dolor de peccatis tuis ad mortem usque perseverans et nova semper accipiens incrementa?

In fine colloquium et *Pater noster*.

Quinta Apparitio

Facta duobus discipulis

CAP. ULTIMO S. LUCAE

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Christus apparet duobus discipulis euntibus Emmaus; reprehendit eos de sua caecitate et incredulitate; aperit eis Scripturas. Ubi autem Emmaus pervenerunt et domum cum iis quasi coactus intravit mensaeque assedit, dat eis S. Communionem et in fractione panis se agnoscendum praebet. Continuo discipuli Jerusalem repetunt, ut omnia fratribus enarrent.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit videre viam quae ducit a Jerusalem in pagum Emmaus, similiter et domum in quam intravit Jesus, et cubiculum in quo se dedit agnoscendum.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *apparet discipulis, qui ibant Emmaus, loquentes de Christo.*

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die (Resurrectionis) *in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta* (trium horarum) *ab Jerusalem, nomine Emmaus.* Unus ex duobus erat Cleophas ex septuaginta discipulis, qui in eadem domo, in quam Christum receperat, pro Christo martyr occubuit. Frater erat S. Josephi, genuitque Apostolos SS. Jacobum et Judam. Quis autem fuerit Cleophae socius, nemo scit.

Lugentibus et flentibus Apostolis ac discipulis, Cleophas et alter, dissipandae aliquantum tristitiae gratia, eunt Emmaus, unde Cleophas erat oriundus. Subito, ut fit in talibus visionibus, apparebit Christus, sed non imparatis, quod notat in hoc puncto Ignatius : *loquentes de Christo.* Quanti enim sint momenti illa de Christo colloquia, tum praesertim cum ex amore et cum simplici cordis effusione fiunt, ex propria et ex suorum experientia noverat Ignatius; noverat et ex verbis ipsius Christi : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* vel realiter, ut duobus illis accidit, vel per gratiam meam (Matt. 18, 20). Quantopere diabolus religio-

sos ipsos vel mentis dissipatione et levitate, vel relaxandi animi praetextu, vel quandoque respectu humano, ab illis colloquiis avertat, vix credibile est : novit enim nonnunquam ex talibus colloquiis plus fervere animam, quam ex ipsa meditatione. Primis nostris Patribus nihil erat antiquius, nihil dulcius, quam de amore Jesu, Ducis sui, sermonem miscere; ardebant equidem in Jesum, et ex abundantia cordis os eorum loquebatur.

Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quae acciderant. Et factum est, dum fabularentur, et secum quaererent (forsan de dictis a mulieribus), *et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis : oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Erat quidem penitus sibi similis Jesus, sed ne agnosceretur, vel visum in illis, vel speciem vultus sui miraculo immutabat. Cur autem noluit ab initio agnosci? Quia videlicet discipuli, nisi prius et ex loquela, et ex gestibus, et ex manducatione veram inesse Christo humanitatem agnovissent, eum pro phantasmate habuissent; dein quia dubitabant necdum merebantur Christum agnoscere; tertio tandem, ut ulcus suum ostenderent, antequam sanarentur. Igitur a mali manifestatione Christus incipit.

Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos

confertis ad invicem, et estis tristes? Sciebat quidem Jesus de se eos confabulari; nihilominus ut peregrinus interrogat : adeo talibus colloquiis delectatur! *Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa his diebus? Quibus ille,* cui in deliciis sunt sermones de Passione sua : *Quid? — Et dixerunt* (utroque nempe jam loquente : erumpebat enim ex corde eorum laus et amor Christi) : *De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* En jam apparet malum quo laborant : dubitant enim de ejus divinitate et resurrectione. *Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum.*

Inde ad plenam suae infirmitatis manifestationem adducuntur, et suam infidelem desperationem revelant : *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel.* Et tunc, non obstante praedictione Christi, quam nosse se exhibent, addunt : *super haec omnia, tertia dies est hodie quod haec facta sunt.* Et per mulieres nihil de resurrectione didicerunt? Quasi increduli et contemptores, earum testimonia ut deliramenta habuerunt : *sed et mulieres quaedam ex nostris* (inter quas erat Salome, mater

Cleophae, sed mulieri in talibus quis credat?) *terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Dicentes, — qui dicunt, — visionem vidisse :* quae verba ostendunt quam nihili pendant dicta a mulieribus. Fatentur et aliud, quo ad credendum sane moveri debuissent : *Et abierunt quidam e nostris ad monumentum; et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt; ipsum vero non invenerunt.* Quibus ultimis verbis se ipsos conficiunt, quasi dicant : ideoque non resurrexit. Si magis humiles ac dociles fuissent duo discipuli, non eo infidelitatis devenissent.

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *reprehendit illos, ostendens per Scripturas, quod Christus debebat mori et resurgere : (O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt Prophetae! Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?)*

O stulti, scilicet non sibi constantes et rationi ipsi adversantes! Sic pater filium, sic magister discipulum, sic amans amatum candide et sine ambagibus reprehendit. In quo autem eos stultitiae accusat? In eo scilicet quod prophetiis Scripturarum, quas norant, nec adverterint, nec fidem dederint. Et ecce sicut bonus pater sensum illis divinitus ape-

rit : *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Oportuit :* sic enim Moyses et Prophetae omnia quae passurus erat Christus singillatim descripsere. Et continuo Jesus, incipiens a *Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant,* ita ut discipuli percellerentur, et quasi e nocte egredientes, in admirabili lumine Christi versarentur. *Oportuit,* haec est conditio resurrectionis et gloriae : *et ita intrare in gloriam suam.* Quae Capiti conditio est, est haec et membris ejus, ut in meditatione de Regno Christi ostensum est. Si vis intrare in gloriam, jam nosti viam; alia nulla est : *oportet.*

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *ad preces illorum, remanet ibi, et fuit cum illis, donec in actu quo ipsis communionem dabat disparuit, et ipsi revertentes dixerunt discipulis quomodo cognovissent eum in communione.*

Pergit sic S. Lucas : *Et appropinquaverunt castello quo ibant : et ipse se finxit longius ire.* Finxit et non finxit; finxit, quia illos invitaturos sciebat seque mansurum; non finxit, neque mentitus est, quia revera ulterius perrexisset, si discipuli eum non invitassent et coegissent. Tanto vero eos lumine, tanta consolatione ignotus ille et mirabilis peregrinus

perfuderat, ut non possent eum non invitare; sed cum is invitationi resisteret et cogi ad accipiendam hospitalitatem vellet, *cogerunt illum dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies*. Si igitur illi non coegissent Jesum, nec eum agnovissent, nec modo tam admirabili, mutato jam corde, sanctam communionem per manus ipsius Christi suscepissent. Ad tantam gratiam praeparatio fuit charitatis actus. Hoc quidem loco memento verborum quibus tam saepe Jesus charitatem erga alios commendavit : *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*. Forte quereris quod in sacra communione aridus sis, sine lumine, sine affectu? Vide quo in statu sis quoad fraternam charitatem.

Et intravit cum illis. Et factum est, dum recumberet cum eis, probabiliter in fine cenae, in qua manducando probaverat Christus verum habere se corpus, non phantasmaticum, *accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum, et ipse evanuit ex oculis eorum*. Vides Christum suum consolatoris officium suavissime et ex inopinato adimplentem. Respice discipulos in amoris et gaudii ecstasim raptos. Durante hoc exilio apparet Jesus et se subducit;

in caelo semper videbitur, nunquam excessurus.

Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? Circa illa verissime et lucidissime haec scribit Cornelius a Lapide, quae utinam qui sacra docent habeant semper ob oculos! « Hoc erat novum et certum » signum Christi redivivi. Christus enim ita » loquitur exterius, ut interius corda amore » divino succendat, quod nec Aristoteles, nec » Plato, nec sapientes mundi facere possunt; » unde eorum doctrina et lectio est arida et » frigida, ac hominem aridum, sterilem, fri- » gidumque relinquit. Imitentur Christum » sacrae Scripturae interpretes, ceterique doc- » tores, ut interpretando et docendo, non so- » lum auditorum lectorumque intellectum il- » luminent, sed et corda inflamment; nec » tantum sint Cherubini, sed et Seraphini, » qualis inter alios fuit S. Franciscus ac ejus » assecla S. Bonaventura, qui proinde Doctor » seraphicus appellatur. »

Ne miremur quod sacrarum scientiarum discipuli inflentur superbia, si sine affectu erga Christum altas tantum in ejus doctrina speculationes sectentur.

Advesperascebat quidem, sed continere se

non potuerunt discipuli, quin eadem die, licet trium leucarum spatio urbe abessent, ad undecim redirent Apostolos. *Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Jerusalem;* diligentiae suae ac fervoris mercedem erant accepturi, novam scilicet apparitionem. Comitabor eos in via, eos de apparitione interrogabo : *Quem vidistis in via?* Dicite quantum arderet cor vestrum?

In fine colloquium, et *Pater noster.*

Sexta Apparitio

In cenaculo

LUC. 24, JO. C. 20

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo congregatis discipulis, excepto S. Thoma, Christus apparuit, et eis pacem contulit facultatemque remittendi peccata.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre cenaculum, in quo congregati sunt Apostoli.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *discipuli erant congregati (propter metum Judaeo-*

rum), excepto S. Thoma. Considera cenaculum et singulos Apostolos, eorumque, in tantis eventibus, varios sensus. A sua fuga ac dispersione reversi, erant in cenaculo congregati, sed trementes adhuc propter metum Judaeorum januas obseraverant. Soli Petrus et Joannes, sed tantum post factam a mulieribus revelationem, ausi erant adire sepulcrum. Ceteri abscondebant sese. En humanam imbecillitatem et infirmitatem, ubi nondum adest virtus Spiritus Sancti; en et perfectam mendacii Judaeorum confutationem, qui per custodes auro corruptos evulgarant discipulos Christi corpus noctu abstulisse.

Per totam diem, saltem usque ad apparitionem Petro factam, tristes fuerant Apostoli, sed nunquam Christum amare desierant : *lugentibus et flentibus.* Contemplare eos de solo Jesu semper loquentes, et de omnibus quae dicta erant a mulieribus. Alii, ut Petrus et Joannes, iis quae viderant et audierant multum commovebantur; alii autem ea, ex tristi quadam desperatione, ut deliramenta habentes, Resurrectioni Domini non assentiebant : horum praecipuus erat S. Thomas, qui certe cum ceteris adfuit, sed, probabiliter, paulo ante reditum Cleophae, contra confratrum

credulitatem iratus e cenaculo exierat. Hinc intellige, primo quam sit formidanda et damnosa proprii judicii pertinacia; secundo, quanto se detrimento objiciat, qui se a fratrum communitate segregat : *Qui quaerit privata,* ait auctor Imit. Christi, *amittit communia.* Eo devenit S. Thomas, ut non solum resurrectionem, sed divinitatem Jesu in dubium vocaret. Ast S. Thomae ne irascaris, qui tantopere amaverat Christum, ut dixerit : *Eamus et moriamur cum eo;* qui post Pentecosten adeo amore in Jesum exarsit, ut plus quam ceteri omnes orbem peragraverit, et nomen Jesu Parthis, Medis, Persis, Carmanis, Hyrcanis, Bactris, Abyssinis annuntiaverit, et pro amore Jesu sanguinem suum gloriose effuderit. Quidni et ego, quamvis miser peccator, magna pro Jesu sperem me facturum?

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *apparuit illis Jesus, cum essent januae clausae : et stans in medio illorum, dixit : (Pax vobis).* Contemplare discipulorum sensus, quando, non jam mulieres, sed Petrus ipse, flens prae gaudio, magna cum humilitate narrat apparuisse sibi Christum, et interrogantibus discipulis, qualem eum viderit et quae in illa apparitione dicta et facta fuerint, respondentem. Et

ecce, dum ita accenso corde loquitur de Jesu, pulsant Cleophas et socius ejus ad januam, et agniti ingrediuntur, pleni gaudio. Antequam autem os aperiant, clamant ad eos condiscipuli : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni*. Quo audito exsultantes, *ipsi narrabant quae gesta erant in via : et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Gesta in via :* audi eos cum ardenti affectu narrantes omnia, imprimis quae dixerat et fecerat Jesus, omnes ejus Sacrae Scripturae interpretationes; quomodo inter haec arderet cor eorum, et quomodo agnoverint eum in S. Communione.

Dum autem in hujus agnitionis narratione versantur, ecce, januis obseratis, coram stupentibus Apostolis apparet Jesus in cenaculo. *Dum autem haec loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis : Pax vobis.* Sic Jesus se Deum ostendit et glorificatum, ingrediendo januis clausis, et suo consolatoris fungitur officio : *Pax vobis. Conturbati vero, et conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Ego sum, nolite timere.* Cumque adhuc timori stupentes cederent, accessit benignus ad omnes et ad singulos, eisque perforatos pedes ac manus, non videndos tantum, sed et palpandos et osculandos exhibens, ait :

Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum : palpate et videte : quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Immo ostendit eis *et latus,* ut illud vulnus palpantes, amore accenderentur. Ex quibus recreati, incredibili gaudio discipuli perfusi sunt : *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Immixtus et tu cum iis intuere Jesum dicentem et tibi : vide manus meas et pedes, palpa et vide; vide et palpa vulnus Cordis mei. At quanto majora tibi in sanctissimo amoris Sacramento concedit! *Beati qui non viderunt, et crediderunt!*

Etsi jam inde multum erant confirmati et gaudio repleti discipuli, tamen vix oculis suis credere poterant; ideo Christus, ut plenam eis certitudinem de veritate corporis sui faceret, voluit, sicut olim saepe fecerat, cum eis manducare. *Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus prae gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.*

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *dat illis Spiritum Sanctum, dicens illis : (Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis).*

Postquam dixit Paulus ad Romanos de Christo : *Qui traditus est propter delicta nostra,*

addit : *et resurrexit propter justificationem nostram*. Inde, qui ante Passionem suam dederat Apostolis potestatem in Corpus, eisdem in ipso resurrectionis suae die facultatem animas e tumulo peccatorum suscitandi elargitus est.

Dixit ergo eis iterum : Pax vobis, et, ut quidam probabiliter existimant, plenitudinem sacerdotii, scilicet episcopatum eis contulit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*

Haec cum dixisset, sicut Adamo spiraculum vitae et gratiam inspirando dederat, ita in Apostolos *insufflavit et dixit : Accipite Spiritum Sanctum,* non ut in baptismate acceperant, aut in Pentecoste erant accepturi, sed in ordine ad Sacramentum poenitentiae conferendum, ita ut et valide per Spiritum Sanctum peccata omnia remitterent, et Spiritu eodem adjuti, corda ad veram poenitentiam inflecterent.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Ergo nulla sunt, etiam innumera, etiam gravissima peccata, quae a sacerdote remitti non possint, ubi cum Sacramento adest saltem attritio, ubi et fit vera peccatorum confessio, quae ex sanctae Ecclesiae definitione et ipsis Christi verbis requiritur. Ut enim sacerdos judicet

utrum remittenda sint, an retinenda peccata, debet ex ore ipsius poenitentis audire peccata.

Immensam hujus Sacramenti misericordiam perpende. Quam domum, sine isto Sacramento, per totam aeternitatem habitasses? Haec sit tua consolatio, quando peccasti, humili confessione consolari Cor Jesu, quod peccato pupugisti.

In fine colloquium, et *Pater noster*.

Septima Apparitio

Iterum coram undecim Discipulis

JO. 20

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo incredulus mansit Thomas; sed cum, eo praesente, Christus, post dies octo, iterum apparuit, credidit et Thomas.

Secundum praeambulum et Tertium, ut in praecedente contemplatione.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *sanctus Thomas incredulus, quia aberat ab apparitione praecedente, dicit : (Nisi videro... non credam).* Nota quomodo hic S. P., duobus insistat,

nimirum causae incredulitatis S. Thomae, quod nempe a communitate digressus fuerat, et formae incredulitatis : *nisi videro... non credam,* quae fidem omnino dirimit.

Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Ex hoc intellige quanti intersit, praesertim in vita religiosa, omnibus communitatis interesse exercitiis, orationibus communibus, refectionibus corporis, recreationibus, etc. Qui ab iis sine legitima ratione eaque a Superioribus probata recedit, recedit a divina visitatione et benedictione. Hoc sensit S. Thomas, qui octo dies mansit tristis in incredulitate, et in ea semper mansiset, ni divina misericordia intervenisset. Ne tamen aequipares culpam S. Thomae culpae eorum qui susceptam post stabilita motiva credibilitatis fidem postea abjecerunt. Debebat enim illi prius de vera Christi resurrectione certo constare, ut verum abjectae fidei peccatum exstaret. Hinc cum exprobraret Jesus discipulorum incredulitatem, non proprie peccatum contra divinam fidem exprobrabat, sed contra testimonia humana, quibus prudenter debuissent assentiri.

Dixerunt autem ei discipuli : Vidimus Dominum, et ei certe narraverunt omnia quae in diebus praecedentibus gesta et dicta fuerant

Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Magna sane fuit S. Thomae superbia ac tenacitas judicii; magna fuit et irreverentia ejus erga Christum Dominum et pertinax expostulatio, cum fratrum scandalo conjuncta : sed plus profuit nobis ad credendum Thomae incredulitas quam ceterorum fides.

Hinc tamen disce quam sit in via spirituali formidanda proprii judicii pertinacia, et quam recte Cassianus a S. Ignatio citatus dicat : « Nullo alio vitio tam praecipitem diabolus » monachum pertrahit, ac perducit ad mor- » tem, quam cum eum, neglectis consiliis » seniorum, suo judicio persuaserit definitio- » nique confidere. »

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *apparet illis Jesus, inde post dies octo, cum essent januae clausae, et dicit S. Thomae : (Infer digitum tuum huc, et vide... et noli esse incredulus, sed fidelis).*

Joannes scribit : *Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus; et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.* Contemplare fideles discipulos non jam conterritos, sed cum stupore et magno

gaudio intuentes Jesum; respice Thomam commotum quidem subita illa apparitione, sed in sua dubitatione perseverantem. Admirare clementiam et benignitatem Christi, qui, ut bonus Pastor, ovem perditam quaerit et propter eam denuo omnibus apparet. Et re quidem vera, ubi dixit *Pax vobis,* continuo in Thomam oculos misericorditer convertit. *Deinde dicit Thomae : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.*

Quanta in Jesu etiam glorioso humilitas! Nos quidem dedignamur superbos ac pertinaces; non ita Jesus mitis et humilis corde. Gestu paterno vocat ad se Thomam, quem cum suavitate compellat nomine suo : Veni, Thoma, *infer digitum tuum huc;* et ita declarans scire se, utpote omniscium, quae in occulto suis condiscipulis arroganter dixerat, ei suam Divinitatem revelat. Ejus autem superbam simul expostulationem modo delicatissimo exprobrat, eadem verba quae protulerat referendo.

Vide attentos Apostolos, Thomam accedentem, et Jesum illi porrigentem manus et pedes. Ubi autem, palpando, veritatem plagarum Thomas exploratam jam habet, aperit ei Jesus latus suum : *affer manum tuam et mitte*

in latus meum, in latissimam videlicet plagam cordis mei, quae manum tuam capere potest. Vix incredulus discipulus manum admoverat, cum a Corde Jesu durities ejus devicta est; vocibusque : *non credam,* hae opponuntur : *noli esse incredulus, sed fidelis.*

Utinam et nos incredulis et impiis, ad imitationem Jesu, non acerbas reprehensiones et contumeliosas exprobrationes, quae eos exasperant, sed benignitatem et commiserationem semper objiceremus!

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *S. Thomas credidit, dicens : (Dominus meus, et Deus meus) : cui ait Christus : (Beati qui non viderunt et crediderunt).*

S. Joannes scribit : *Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus.* Quale spectaculum ciendis lacrymis aptissimum! Respice Cor Jesu suo fungens consolatoris officio; respice Thomam lacrymantem et procumbentem ad genua Jesu; respice Apostolos prae commotione et gaudio flentes. Audi et perpende verba S. Thomae adorantis et dolentis amantissime. Dum vocat Jesum Dominum, agnoscit eum esse Redemptorem; agnoscendo resurrectionem quam videt, agnoscit et credit Divinitatem quam non videt : *et Deus meus.*

Ubi autem surrexit, et dum servatorem suum amanter respicit, *dixit ei Jesus,* non more exprobrantis, sed cum amore : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt.* Illa non tam propter Thomam, quam propter eos qui ad finem usque mundi credituri erant, protulit Christus. Beatus certe ille est, cui apparet Jesus, sed haec apparitio per se nullius est meriti : ingentis autem meriti est non videre, et tamen docenti Ecclesiae, propter verbum Dei, firmiter credere. Beatiores igitur nos S. Thoma, siquidem non videntes credimus. Unde ait S. Petrus de novissimo tempore : *In quo exsultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : ut probatio vestrae fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi : quem cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis; credentes autem exsultabitis laetitia inenarrabili et glorificata : reportantes finem fidei vestrae, salutem animarum.* (Ep. I. c. 1, 6-9).

Imitare filialem S. Thomae fiduciam : Dominus *meus* et Deus *meus*.

In fine colloquium, et *Pater noster*.

Octava Apparitio

secus litus maris Tiberiadis

JO. C. 21

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Hic erit, quomodo apparet Christus septem discipulis in mari piscantibus. Cum nil tota nocte ceperint, in verbo Christi laxant rete et capiunt ingentem numerum piscium. Joannes agnoscit Jesum : *Dominus est;* illico Petrus se projicit in mare et venit ad Christum, qui, saturatis pisce asso et melle discipulis, commendat oves suas Petro.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit videre in mari naviculam, et litus in quo stat Jesus.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *Jesus apparet septem ex suis discipulis piscantibus, qui tota nocte nihil prendiderant : et jacientes rete ad ejus mandatum, (non valebant illud trahere prae multitudine piscium).*

Scribit S. Joannes : *Postea manifestavit se iterum discipulis* (congregatis, quae tertia hujusmodi apparitio est) *ad mare Tiberiadis,* seu Galilaeae; jusserat enim Jesus eos in Gali-

laeam ire, ut ibi eum viderent. Cur ad mare apparuit? Audi S. Greg. hom. 24 : « Mare, » ait, praesens saeculum significat, quod se » causarum tumultibus et undis vitae corrup- » tibilibus illidit; soliditas autem litoris per- » petuitas est quietis aeternae. Discipuli ergo » adhuc fluctibus mortalitatis vitae inerant; » Dominus autem jam in litore stabat, ad » quod Petrus, cui specialiter Ecclesia com- » missa est, pisces pertrahit, stabilitatem » aeternae pacis fidelibus ostendens, quod » egit verbis et epistolis, agitque quotidie » miraculorum signis. »

Manifestavit autem sic : Erant simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus, princeps futurus Ecclesiae piscatorum : *Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum.* Unanimitas illa cum Petro imago illius est quae in posterum existet Petrum inter et veros ministros Christi. *Et exierunt, et ascenderunt in navim : et illa nocte nihil prendiderunt,* quia non aderat Jesus, ut discerent omnem suae piscationis fructum a Christo pendere, ideoque illum ab eodem esse flagitandum. *Sine me nihil potestis facere :* non dixit *parum,* sed *nihil.* Divina enim illa opera sunt.

Mane autem facto stetit Jesus in litore : *non tamen cognoverunt discipuli ejus quia Jesus est.* Sic enim Jesus multo majore gaudio eos afficiet et praeclarius suo consolandi officio fungetur. *Dixit ergo eis Jesus,* ad instar benevoli emptoris : *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* Quam benignus et familiaris erga suos est Jesus! *Responderunt : Non,* breviter, quasi de inutilitate laboris sui conquerentes. *Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo : et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.* Respice eo momento gaudium et stuporem discipulorum, et maxime Petri.

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *per hoc miraculum S. Joannes illum cognovit, et dixit S. Petro : (Dominus est); qui projecit se in mare, et venit ad Jesum.*

S. Joannes scribit : *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus,* scilicet exteriori veste exutus, ut fit ad laborem) *et misit se in mare.*

Gloriatur, et merito, in candida sua simplicitate Joannes, vocare se discipulum illum, quem diligebat Jesus. Unde autem praecipue diligebat eum Jesus? An quia ardebat amore

in Jesum? Utique, sed ardebat et Petrus. Unde ergo? ex eo scilicet quod inter Apostolos purissimus erat Joannes et virgo. *Dilectus* enim *meus pascitur inter lilia.* Et quia mundi corde Deum vident, Joannes pro indita sua erga Jesum propensione, dum Petrus occupatur in trahendis piscibus, respicit Jesum, eumque agnoscit. Et inde gaudens dicit Petro, dilecto suo : *Dominus est.*

Vide nunc quomodo Petrus Jesum amet. Statim atque audivit a Joanne *quia Dominus est,* laborem inceptum deserit, projicit rete, et reverentiae gratia tunica se succingit, et ex impetu amoris mittit se in mare, ut paulo citius ad Jesum veniat. Sic parvulus in sua simplicitate currit ad matrem. Vide quomodo aqua egressus Jesum adoret et respiciat; vide quomodo et ipse Jesus eum respiciat, amet et consoletur.

O si nossemus Jesum, quanta cum simplicitate et fiducia eum adiremus! Etenim qui totum sanguinem pro nobis effudit, amorem summum et firmissimum demonstravit. Sciebat moriens in cruce se mori pro miseris; hos tamen amavit. *Dilexit me,* misertus mei, et *et tradidit semetipsum pro me.*

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *dedit illis ad comedendum partem piscis assi et favum*

mellis (Evang. dicit piscem et panem), *et commendavit oves (suas) S. Petro, examinato primum tribus vicibus de caritate, et dicit illi : (Pasce oves meas).*

S. Joannes ita narrat : *Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum et panem.* Hoc secundum fuit Christi miraculum, in quo se Jesus paterno ex amore demittit ut refectionem discipulis suis praeparet. Ergo etiam evectus ad gloriam, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (MATT. 20, 28). Quid mirum? Siquidem id se et in caelis facturum promisit : *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod* PRAECINGET *se, et faciet illos discumbere, et transiens* MINISTRABIT *illis.*

Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Volebat enim sub piscationis figura, apostolicum laborem nobis proponere, et ostendere per Petrum rete esse trahendum. Semper promptus et obediens, *ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus;* sic constabat et de magnitudine miraculi, et de resurrectione Christi ejusque divinitate. Erant pisces illi magni numero

centum et quinquaginta tres. Et ecce novum miraculum : *et cum tanti essent, non est scissum rete.*

Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Vide nunc amori junctam in Apostolis modestiam et reverentiam. *Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es? scientes, quia Dominus est.* Sicut bonus paterfamilias, distribuit manibus suis escam discipulis Jesus : *Escam dedit timentibus se* (Ps. 110, 5). *Et venit Jesus, et accipit panem et dat eis, et piscem similiter.*

Restat sublimis et divina res perficienda, scilicet assumptio Petri in supremum Ecclesiae Pontificium.

Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis diligis me plus his? Petrus, quem suae culpae dolor et memoria invaserat, experientia edoctus, non respondet, ut olim respondisset : Utique diligo te plus his; sed cum humilitate et omissa comparatione : *Etiam, Domine, tu scis quia amo te.* Quam distat hoc responsum ab illo : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor* (Matt. 26, 33)! *Dicit ei : Pasce agnos meos.*

Examinat, ut ait S. P., Jesus non super ingenio et scientia, non super aptitudine et propensionibus Petri, sed unice suum amorem requirit. De charitate in proximum non

loquitur, quia ex amore Christi amor proximi sequitur, qualis esse debet in apostolo. Animas enim is non naturaliter, sed supernaturaliter, id est in Deo et propter Deum, debet diligere.

Dicit ei iterum : Simon Joannis diligis me? Non jam addit : *plus his;* sufficiebat enim semel explorasse, an pristinam praesumptionem exuisset. *Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos.* En quomodo Jesus vocat et amat nos : *agnos meos.* — *Ego sum pastor bonus.*

Dicit ei tertio : Simon Joannis amas me? Terna illa eadem interrogatio res erat insolita et apta ad stuporem in Petro et in assistentibus excitandum; in Christo divinam induebat solemnitatem. Triplici hac interrogatione recordatur Petrus triplicem suam negationem, et quasi in dubium revocetur sui amoris in Christum sinceritas et veritas, contristatur. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio : amas me; et dixit ei,* cum magna et amabili humilitate : *Domine, tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas,* atque sic eum non pastorem tantum, sicut ceteros Apostolos, sed pastorem etiam omnium pastorum, suum in terris Vicarium et summum Pontificem elegit et consecravit, cui dignitati nulla est

quae comparari possit. Regant enim reges et imperatores in orbis hujus partibus quae temporalia et peritura sunt; Petrus vero animarum omnium rector atque imperator, immo et ipsius caeli clavicularius est. Sanctum Petrum Christus elegit; ad Petrum et successores ejus pertinebit leges servandas in electione sequentium Pontificum statuere.

Cum autem recogitans de triplici sua negatione et dubitans de veritate amoris sui contristatus fuisset Petrus, consolationem accepit insignem. Jesus enim praedixit ei palmam martyrii : *Amen, amen, dico tibi : cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Sic in morte tuum amorem in me profiteberis.

In fine colloquium, et *Pater noster.*

Nona apparitio

In monte Thabor

MATT. C. ULT.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic quomodo in monte Thabor Christus undecim

discipulis apparuit, eis suam potestatem revelavit, jussitque eos mundum universum evangelizare.

N. B. Hanc apparitionem S. P. ab ea quae quingentis fratribus facta est omnino discernit, et merito : *haec enim solis apostolis concessa est*. Nam sicut in principio suae praedicationis, relictis omnibus ceteris discipulis, cum solis duodecim ascendit in montem, ibique eos ad vitam apostolicam praeparavit, ita nunc missionem et potestatem confert apostolicam; quod ad solos Apostolos pertinebat.

Secundum praeambulum, compositio loci. Erit hic videre montem Thabor, et in specie locum in quo antea Christus coram tribus discipulis transfiguratus fuerat.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *discipuli ex mandato Domini eunt in montem Thabor.* Auctores censent hunc montem fuisse Thabor et non alium; non censet S. P., sed affirmat, in hoc, ut in multis, non ab humano, sed a divino Magistro probabiliter edoctus. Hanc apparitionem praedixerat Angelus. *Et ecce praecedit vos in Galilaeam : ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis.* Praedixerat hanc et Christus, cum iret ad Passionem : *scriptum est :*

Percutiam pastorem, et dispergentur oves. Sed postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam (Marc, 14, 27, 28).

Jam convenerant omnes Apostoli a Judaea in Galilaeam : *Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam in montem, ubi constituerat illis Jesus.* Ex ipso ergo Jesu sciverant montem illum, immo etiam Petrus, Jacobus et Joannes probabiliter sciebant esse locum ubi se transfiguraverat Jesus.

De hac visione transfigurationis dixerat Jesus Petro et duobus sociis ejus : *Nemini visionem dixeritis, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Resurrectione facta, cessat secretum. Narrant igitur illi tres ceteris discipulis, dum montem Thabor ascendunt, totum transfigurationis mysterium, apparitionem Eliae et Moysis, atque auditam Patris aeterni vocem : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Sequar eos et audiam quanto cum amore et admiratione ea Petrus enarret. Audiam et reliquos omnes sermones quos simul miscent et de excessu Jesu, et de apparitionibus. Intuebor quomodo corda omnium ardeant in Jesum, et quantum ad promissam ejus in monte apparitionem anhelent. *Quando veniam, et apparebo ante faciem tuam* (Ps. 41, 3)?

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P.,

Christus illis apparet, et dicit : (Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra).

Apparuit illis illico Jesus, postquam ad locum pervenerunt; nec prope ipsis se ostendit, sed ad quamdam distantiam, ut eum prius silentio contemplarentur.

Et videntes eum adoraverunt, probabiliter prostrati in terram. Addit Matthaeus : *quidam autem dubitaverunt,* quod non de tempore hujus apparitionis, sed de antecedente intelligendum est, in quo Thomas et alii dubitaverant. Et revera in textu graeco pro *dubitaverunt* habetur aoristus, ita ut latine verti possit : *quidam autem dubitaverant.* Cum enim hanc solam apparitionem Matthaeus referat, non vult illud omitti quod non omnes a principio crediderant. Nunc vero post tot apparitiones, nemo erat ex iis undecim, duce antesignano incredulorum Thoma, qui non crederet, qui non adoraret et diceret : *Dominus meus et Deus meus!*

Ubi autem cum summa reverentia adoravere discipuli, *accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*

Ad missionem enim Apostolorum requirebatur potestas illa, quam ut Filius Dei et Deus ipse, Christus habebat et quidem ab

aeterno; sed et ea quam ipsi, ut Filio hominis et generis humani Redemptori, Pater aeternus contulit. Hanc Jesus et suis laboribus, et suis opprobriis, et sua crucifixione promeruit : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum* (PHIL. 2). Haec autem potestas tunc tantum ab omnibus agnoscetur, cum Dominus ad judicandum veniet : hujus participes omnes faciet discipulos suos, et maxime apostolos, qui propius eum secuti sunt.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *misit eos per totum mundum ad praedicandum, dicens : (Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti).* Addit idem S. Matt. et haec sequentia Christi verba : *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

Hic non jus tantum confert, sed et divinum mandatum imponit praedicandi Evangelium in universo orbe, ita ut si tyranni obsistant, ad effundendum sanguinem pro annuntiando Evangelio parati esse debeant Apostoli; quod

cum fecerint, aeterna martyrii gloria in caelis coronabuntur.

Primum ergo est *docere* seu catechizare; dein *baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* quibus verbis Christus dogma unitatis divinae Essentiae et Personarum distinctionis clarissime exprimit; tertio, *docere eos servare* QUAECUMQUE mandavit Apostolis Christus.

Quaecumque : nihil excipitur : haec salutis conditio est. Cum autem multa, tum in Apostolatu, tum in vita christiana dura sint, et nonnumquam durissima, ad solatium et ad spem addit Jesus : *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Hoc jam promiserat : *Non relinquam vos orphanos.*

Aderit quippe Ecclesiae suae et Capiti ejus, ne unquam sive in dogmaticis, sive in moralibus a vero aberrent; aderit et singulis fidelibus, eos in tentationibus adjuvando, in persecutionibus sublevando; aderit Spiritu suo, aderit in suo amoris Sacramento.

In fine colloquium, et *Pater noster.*

Nota

circa tres sequentes Apparitiones

In praecedentibus contemplationibus tria puncta S. P. proposuit, in sequentibus autem cur puncta non proponit, sed simpliciter apparuisse dicit Jesum? An quia de his apparitionibus Evangelium nil refert? Utique, nec verba, nec gesta probabilia vult effingere S. P. At si nulla inveniuntur puncta in Evangelio, cur ad faciendam tam exilem contemplationem exercitantem invitat?

Respondemus : exercitii causa. Supponit enim exercitantem qui hucusque protrahere valuit Exercitia, adeo profecisse ut jam pervenerit, sin minus ad extraordinariam contemplationem, saltem ad contemplationem affectus, de qua superius actum est. Jam vero qui gradum istum est assecutus, qui in Christum ita ardet et in eo ita delectatur, punctis non jam indiget, eique sufficit si Christum prope adstantem et benevolum sentiat, ut quasi silens et in eo absorptus plenam deliciis horam transigat. Quemadmodum provocat aquila ad volandum pullos suos, ita Ignatius suum exercitantem ad altissimam etiam contemplationem excitat, in qua solus Christi

praesentis et amabilissimi aspectus animam implet ac inebriat, quae, invento thesauro suo, cum Psalmista exclamat : *Quid enim mihi est in caelo? et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum* (Ps. 72, 25, sq.).

De hac delectatione ait P. Jac. Alvarez : « Haec maxima voluptatum etiam spiritua-
» lium est; quia ex objecto summe delectabili,
» nimirum ex Deo, omnium deliciarum abysso
» et fonte, percipitur. *Adimplebis enim me, Do-*
» *mine, laetitia cum vultu tuo : delectationes in*
» *dextera tua usque in finem* (Ps. 25, 12). Quia
» hoc objectum non inquiritur, sed inventum
» tenetur et perfectissimo modo proponitur,
» et anima illud amplexatur, et ab eo se ad-
» stringi experitur et amplexari. Nam *laeva*
» *ejus,* inquit anima contemplatrix, *sub capite*
» *meo, et dextera illius amplexabitur me* (Cant.
» 8, 3). »

Vides quousque verba illa quartae Additionis se extendant : *In puncto in quo invenero id quod volo, ibi quiescam?* Quid porro aliud melius inveniat, qui invenit Jesum? *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi* (Cant. 6, 2).

Si igitur exercitans ad similia non ascendit, et in via proficientium adhuc detinetur ac punctis eget, dictas contemplationes nec ne-

cessarias, nec hic utiles Director simpliciter omittet. Ideo neque nos, ne a scopo quem intendit S. P. recedamus, puncta effingemus.

Decima apparitio

EP. I. AD COR. C. 16

Deinde visus est plus QUAM QUINGENTIS *fratribus* SIMUL : *ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.* Sic palam et in publicum manifestata est Christi resurrectio, quae fidei nostrae fundamentum est.

Undecima Apparitio

I. COR. 15, 7

Deinde visus est Jacobo. Jacobus dictus frater (id est, juxta usum apud Judaeos receptum, consobrinus) Domini. Vide pulcherrima quae de ejus pietate, abstinentia, sanctitate et martyrio dicuntur in breviario diei 1ae Maji. Unde intelligitur cur eum inter primos apostolos Jesus elegerit, eique apparuerit.

Duodecima Apparitio

Apparuit, ait S. P., *Josepho ab Arimathea, ut pie cogitatur meditando, et legitur in vita Sanctorum.*

Docet hic S. P., vir prudentissimus, quae pie credita sunt, quamvis in neutro fidei catholicae fonte, Scriptura scilicet et traditione, exprimantur, non ideo esse rejicienda ac multo minus contemnenda, praesertim cum rationi probabilia sunt et christiano sensui consona. Non enim omnia quae fecit Jesus in Evangelio conscripta sunt, sed pauca tantum, si cum toto comparentur. Multa igitur, ut patet ex antiquorum scriptorum codicibus, oretenus et a B. Virgine, et ab Apostolis, et a sanctis mulieribus, et a ceteris discipulis amicisque Jesu, in colloquiis enarrata sunt, quae, etsi in sacro fonte fidei non sunt congesta, pie tamen credi possunt, utpote animabus valde utilia.

Ita sentit S. P., et praesentem apparitionem duplici ac solido fulsit probabilitatis argumento, altero intrinseco, altero extrinseco : nimirum 1°. *Ut pie cogitatur meditando.* Si quis enim cogitet ac meditetur, qualem erga Christum Josephus ille se exhibuerit, dubitare vix poterit, quin Christus ei appa-

ruerit, si praesertim, quam gratum sit Cor Jesu, voluerit attendere. Omnibus Christus apparuit, qui in passione sua ei aut servierunt aut condoluerunt : apparuit S. Matri suae, Magdalenae, Petro, Jacobo, duobus discipulis, pluries Apostolis, sanctis mulieribus. Soli autem Josepho, qui, eo quod in concilio senatorum et principum sacerdotum morti Jesu non consensisset, incredibilem in se Sacerdotum invidiam et odium concitavit; qui audacter, contemptis propriis periculis, accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu, ne istud in fossam cum cadaveribus malefactorum projiceretur; qui cum amore et fletibus sanctissimum illud corpus, sindone involutum et pretiosis aromatibus conditum, super genua Matris benedictae deposuit; qui sepulcrum, quod sibi ipsi de petra magnifice exciderat, donavit corpori Jesu : ei, inquam, soli Jesum non apparuisse quis crederet? — 2° Alio prorsus modo sensit plurimorum scriptorum traditio : *et legitur,* ait S. P., *in vita sanctorum.* Haec notata sint ad gloriam S. Josephi ab Arimathea, qui tantopere dilexit Jesum.

His dictis, quis non videat piissimam contemplationis materiam hic a S. P. proponi, si quinque hujus hebdomadae quartae puncta adhibeantur?

Decima tertia Apparitio

EP. I, AD COR. 15, II, 12, ACT. 9

In expositione eorum quae pro praesenti Apparitione proponit S. P., nonnulla consideranda sunt :

1. In omnibus quas hic exhibet S. P. apparitionibus post Resurrectionem factis, vitam apostolicam, pro more suo, intendit. Solarum enim apparitionum hic meminit, quae factae sunt discipulis, et conversationis quam cum iis, dum remaneret gloriosus in terris, per quadraginta dies habuit.

2. Mirum forte videbitur quod S. P., de Pentecoste penitus taceat et ad duos annos post Ascensionem excurrat, ut apparitionem S. Paulo factam referat. Ast, primo, Pentecostes non ad Christi, sed ad Spiritus Sancti missionem pertinet; conversio autem Pauli, factaque ei apparitio complementum est operis Christi. Cumque, ut modo diximus, S. Ignatius vitam Christi apostolicam maxime intendat, apparitionem illam non potuit omittere, qua et collegium apostolicum mirabiliter completum est, et ipsa Christi Resurrectio iterum et magnificentissime confirmata. Quid autem aptius ad vitam apostolicam suaden-

dam esse potuit, quam miraculosa illa Pauli vocatio et portentosus apostolatus?

3. Quemadmodum S. P. in fine tertiae hebdomadae praescribit ut uno vel tribus etiam diebus Passio integra a principio ad finem usque per modum repetitionis recolatur, ita et hic idem innuit, reincipiens nimirum ab apparitione Christi in limbis; sed cum duplici hoc discrimine : 1°, quod illam repetitionem non praescribit, sed innuendo proponit; 2°, quod non omnes apparitiones recolendas insinuat, sed eas tantum, pro scopo suo apostolico, quae Apostolis factae sunt.

4. Itaque post contemplationem de S. Paulo, incipit repetitio contemplationum quae ad Apostolos factae sunt; atque sic cum Apostolis, quasi unus ex illis, et cum Christo versatur exercitans usque ad Ascensionem Domini.

His praemissis, ad S. Paulum veniamus.

In hac contemplatione, ut in ceteris, post orationem praeparatoriam fiant convenientia praeambula.

Haec sunt verba sancti Patris : *Apparuit S. Paulo post Ascensionem : (Novissime tanquam abortivo visus est mihi).*

In Act. Ap. c. 9, apparitionis hujus narratio legenda est : *Saulus adhuc spirans minarum, et caedis in discipulos Domini, accessit ad principem*

sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas : ut si quos invenisset hujus viae viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco : et subito circumfulsit eum lux de caelo. Et cadens in terram, audivit vocem de caelo dicentem sibi : Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit : Quis es, Domine? Et ille : Ego sum Jesus, quem tu persequeris; durum tibi est contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit : Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum : Surge et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Et revera misit Jesus ad eum Ananiam, qui eum baptizavit. Per tres dies caecus mansit Saulus, sed in istis diebus Jesus, quaecumque per tres annos Apostolos docuerat, ipsemet Saulo revelavit. Exinde Saulus, nunc Paulus *continuo in synagogis praedicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.*

Nono a conversione sua anno, eo scilicet tempore quo cum Barnaba ordinatus est Apostolus, alteram visionem Paulus habuit, quam enarrat ipse in secunda ad Cor. epist., c. 12 : *si gloriari oportet (non expedit quidem), veniam autem ad visiones et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium*

caelum. Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit : quoniam raptus est in Paradisum : et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.

De Ascensione

Christi Domini nostri

ACT. APOST. I

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum, historia. Erit hic, quomodo Jesus, postquam per quadraginta dies cum Apostolis conversatus est, eduxit eos in montem Oliveti, et coram eis ascendit in caelum; duo autem Angeli, post ejus discessum, annuntiaverunt ultimum adventum Christi Domini.

Secundum praeambulum, erit videre viam quae ducit a cenaculo in Bethaniam et montem Oliveti.

Tertium praeambulum non variatur.

Primum punctum. — *Primo,* ait S. P., *postquam per spatium quadraginta dierum apparuisset Apostolis, faciens (praebens) multa argumenta et signa, et loquens de Regno Dei, mandavit illis, ut in Jerusalem promissum Spiritum Sanctum exspectarent.*

Sicut et nunc nobis, si pietate fervemus, semper praesens Jesus est, quamvis invisibilis, ita praesens erat suis Apostolis; et sicut interdum nobis inopinato, per modicum tempus, modo tempore orationis, modo in medio labore, vel illustratione, vel consolatione suam manifestat praesentiam, ita saepius inexspectantibus, sed ardenter desiderantibus suis Apostolis apparebat : idque ut 1°, suam Resurrectionem, per signa et prodigia quae contemplati sumus, indubitatam faceret; 2°, ut eorum doctrinam compleret circa virtutes, sacramentorum confectionem et administrationem, modum celebrandi missam, et componendi ecclesiasticam hierarchiam, etc. Sicut ipsum decebat, et ut suos Apostolos in homines alios transformaret, divinis nempe rebus deditos, non loquebatur nisi de Regno Dei, scilicet de futura in caelis beatitudine, et de plena in praesenti saeculo cum voluntate divina consensione. Cum autem loqueretur, ardens erat cor Apostolorum et a terrenis ad divina assurgebat. Idem nobis contingeret, si amandatis vanis et quandoque scurrilibus colloquiis, saepius in nostris recreationibus cum simplicitate religiosa de Regno Dei sermones misceremus.

In hac ultima apparitione, ut iterum se

praeberet vivum et amice cum fratribus ageret, prandit. *Convescens* autem, *praecepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum : Quia Joannes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*. Apud Lucam Christus ait : *vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. De eodem baptismo praedixerat Joannes : *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam... Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni* (Matt. 3, 11).

Ne igitur exspectes Spiritum Sanctum, neve speres te vita interiore, quae sola vera vita est, vivere posse, nisi exteriori, quantum licuerit, dissipationi te subtraxeris, et internae animi recollectioni valde studueris. Ita dumtaxat virtute ex alto indui poteris. Jam vero quid Apostoli, si sine Spiritus Sancti virtute evangelizandi munus suscepissent? Non divina, sed humana, humano modo fecissent. Quasi enim tantae virtutis necessitatem ostendere velint, suam caecitatem et animi imbecillitatem exhibent Apostoli. Nempe cum Christus eis, quanta pro Regno Dei sint post acceptum Spiritum Sanctum acturi, significat, ecce illum inepte de restituendo Judaeorum temporali regno interrogant : *Igitur qui*

convenerant, interrogabant eum dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Conjiciebant enim primos se in restituto regno David ministros fore. Magna benignitate puerili huic errori Jesus respondet, sciens quanta post decem dies futura esset animorum mutatio. Dixit autem eis : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate;* et continuo de regno ad quod stabiliendum eos vocaverat addit : *sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et critis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Interrogaverant de regno Israel, ecce eis totius mundi confert imperium.

Secundum punctum. — *Secundo,* ait S. P., *eduxit illos ad montem Oliveti, et in praesentia eorum elevatus est, et nubes sustulit eum ab oculis eorum.*

S. Lucas ait : *Eduxit autem foras in Bethaniam;* unde sat clare apparet Christum cum SS. Matre sua, Apostolis, discipulis aliisque amicis et sanctis mulieribus a cenaculo usque in Bethaniam ivisse, ubi Magdalenam, Martham et Lazarum secum assumpsit. Comitatui illi te etiam immisce; respice personas, audi paternos Christi sermones, et inquire horum omnium sensus.

Duxit eos Jesus in montem Oliveti, ut ubi passionem coeperat, ibi primo gloriam acciperet : *Nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Id et de discipulis ejus dicendum.

Ubi autem montem ascendit, gloriosior quam ante apparens, valedixit primo benedictae Matri suae, eique vulnera osculanda praebuit. Contemplabor Matrem et Filium : *osculetur me osculo oris sui. Quando veniam,* Fili mi, *et apparebo ante faciem tuam? Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te,* Fili mi et Deus. *Gemitus Matris tuae,* Fili, *ne obliviscaris.* Accedunt dein ad pedes Christi Apostoli, discipuli, sanctae mulieres.

Dein, crescente circa eum gloria, Jesus ineffabili cum majestate *elevatis manibus* in caelum, *benedixit eis,* nec eis tantum benedixit, sed et iis omnibus qui crediturі erant in eum; quanto autem cum amore eis benedixerit, partim saltem intelliget qui noverit Cor Jesu. Nec benedixit semel, sed perrexit benedicere dum ascenderet, ita ut, cum oculis se subduxit, etiamtum benediceret : *Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis.*

Et videntibus illis elevatus est, et ferebatur in caelum. Quantus fuit discipulorum stupor,

cum eum viderunt jam non tangentem pedibus terram, et propria virtute ascendentem cum majestate! Quam praeclare tunc se manifestavit Christi Domini divinitas! Quantam in ecstasim felices illos rapuit spectatores!

Contemplantibus Apostolis, ecce *nubes lucida suscepit eum ab oculis eorum*. Illico cum animabus justis Paradisum ingreditur, ab Angelis omnibus exceptus, triumphator Jesus. Quae autem ibi gloria Christo sit data, et quam divina laetitia caelites omnes triumphus ille perfuderit : secreta sunt illa, quae non licet homini dicere, nec ea ullo modo mens aut capere aut fingere valet.

Tertium punctum. — *Tertio,* ait S. P., *aspicientibus illis in caelum, dicunt illis Angeli : (Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum).*

Oculos in nubem, cum evanuisset Jesus, figere pergebant, si forte adhuc eum videre possent; et ecce duo Angeli candidis vestibus amicti descendunt de caelo, et coram universa multitudine testium stantes, dicunt : *Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum?* Incassum scilicet aspicitis, oculis vestris jam non apparebit. *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis*

in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum. Sicut vidistis eum abeuntem, ita eum in secundo et ultimo adventu redeuntem videbitis. Eum iterum amabilem justi videbunt, cum eo rapientur in aera, et in aeternum regnabunt; reprobi autem videbunt terribilem et inexorabilem, atque in aeternum praecipites dabuntur in infernum. Judex enim veniet vivorum et mortuorum.

Postea omnes *reversi sunt Jerosolymam a monte, qui vocatur Oliveti.* Erant in cenaculo centum circiter et viginti. S. Lucas ait : *Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.* Quamvis Jesum non essent amplius visuri, gaudebant tamen, et gaudio magno, primo, quia amabant Jesum, et exsultabant de tanta ejus gloria et felicitate; secundo, quia eximium et evidentissimum Divinitatis Jesu viderant argumentum; tertio, quia eo etiam ipsi erant ituri, quo Caput praecesserat.

Ubi thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Itaque in caelis jam erat discipulorum conversatio; utinam ibi et nostra sit! *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram* (Col. 3).

In fine colloquium, et *Pater noster.*

De Contemplatione

ad obtinendum amorem

PRAEMITTENDA

Contemplatio de amore spirituali, quae corona est Exercitiorum, in novam et sublimissimam viam, ad apicem scilicet charitatis et divinae unionis, exercitantem perducit. In secunda et tertia hebdomada, Christum S. P. exhibuit tanquam reparatorem, doctorem et exemplar nostrum; sicut enim se Jesus ut Filium hominis praesertim ostenderat, ita S. P. eumdem in sua Sanctissima Humanitate exercitanti contemplandum, amandum et imitandum, ut salutis auctorem, proposuit : *non enim est in alio aliquo salus* (Act. 4, 12), et : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit* (1. Cor. 16, 22). *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae* (Hebr. 5, 9). Si quis ergo, sub praetextu altioris contemplationis Deum Hominem relinqueret, et de sola Divinitate cogitare vellet, is in errore versaretur, et vana diaboli illusione deceptus, in periculum veniret amittendae salutis.

At Christus, unus et necessarius salutis Mediator, *via* est quae ducit ad vitam, ad

eum nempe qui infinita vita est, ad ipsum Deum. In Divinitate terminus est : neque subito sed paulatim suam Divinitatem Discipulis suis patefecit. Quamvis enim miracula patraret, non ideo tamen eum Apostoli credebant esse Deum sicque egregium actum fidei Petrus elicuit, quando Christo interroganti : *Quem vos me esse dicitis?* respondit : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* Tunc solum Jesus suam Divinitatem plene patefecit, cum resurrexit; tunc Thomas, licet tardus ad credendum, non potuit quin ad pedes Jesu cadens exclamaret : *Dominus meus et Deus meus.* Sic igitur Christus, postquam sensim Apostolos ad confitendum suam et Patris sui Divinitatem evexit, eam tandem in Ascensione tanto splendore manifestavit, ut ab omnibus discipulis adoraretur. Ideo S. Lucas scribit : *Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.* Diceres Jesum in sua profectione eos contemplatione suae Divinitatis quasi ebrios reddidisse. Etenim quid est illud *cum gaudio magno,* nisi ebrietas illa quae cognitionem et amorem Divinitatis prosequi solet!

Neque propterea quod Divinitate inebriabantur Apostoli, Christi Humanitatem minus amabant; quinimmo majore exinde in eam amore flagrabant. Nam contemplantes in

Christo unitam Humanitati Divinitatem, non tantum arserunt in eum, sed et summam ei reverentiam exhibuere : *Adorantes regressi sunt in Jerusalem.*

Quod post Ascensionem in Discipulis est effectum, id jam efficiendum curat S. P. in exercitante, non ut eum, sicut Apostolos, de Divinitate Christi, quam certo scit et indubitanter credit, certiorem faciat, sed ut eum ope contemplationis efferens, in abyssum infinitae Divinitatis demergat. Ad hunc finem haec in quarta hebdomada statuit : *considerare quomodo Divinitas, quae videbatur se abscondere in Passione, apparet et ostendit se nunc tam miraculose in sanctissima Resurrectione, per veros et sanctissimos ejus effectus.* Ab effectibus ad rem et causam fit ascensus ; ita ut in hac de amore contemplatione, non jam Christi Humanitas, sed ejus Deitas appareat, neque rivi tantum considerentur, sed fons ipse infinitus, quo nil altius contemplandum exhiberi potest.

Hinc solvitur dubium, utrum S. P. in secundo et tertio puncto de praesentia Christi sive mortali, sive eucharistica, et similiter de passione ejus voluerit esse cogitandum. Ab his enim mentem abstrahit, ut exercitans de ipsa Deitate totus occupetur. Neque objiciatur vox *atque pertulerit,* quae ceteroqui neque in

autographo hispanico, neque in versione antiqua reperitur, sed in vulgata tantum addita est; quae vox, si existeret, hoc sensu esset accipienda : *ponderando quantum fecerit pro homine, a quo tamen tot offensas pertulit.*

Noli tamen ex his concludere contemplationi Divinitatis, omissis in posterum Mysteriis Christi, esse post Exercitia insistendum. Unum faciendum est, et alterum non omittendum : immo plerumque vitae, passioni et resurrectioni Christi vacandum est. Ibi manna absconditum invenitur, quod qui prius non manducaverit, interibit, aut certe illusionibus diaboli jactabitur. Atque S. Fundator rem ita intelligit, cum scribit ad calcem secundae hebdomadae : *Quia hoc est (tantum) dare introductionem quamdam et modum ad* postea *melius et magis complete contemplandum.* Quod iis etiam qui viam unionis extraordinariam decurrunt est applicandum : hi enim, cessante divino invitamento, redeant oportet ad Christi Mysteria. Haec doctorum asceticae scientiae sententia est, eaque tutissima.

Ex omnibus quae diximus, videtur P. Gagliardi mentem S. P. N. non esse assecutus, cum dicit : « Quatuor puncta hujus exercitii » possunt dari singula, et interponi Mys» teria. »

Antequam ad ipsam contemplationem veniamus, duo cum S. Ignatio animadvertamus.

Primum est, ait S. P., *quod amor debet poni magis in operibus quam in verbis.* Haec sententia cum verbis Christi ipsius consonat : *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum* (Matt. 7, 21); et : *Qui habet mandata mea, et servat ea : ille est qui diligit me* (Jo. 14, 21). Si haec ad salutem necessaria sunt, sunt etiam necessaria pro perfecta sanctitate unionis.

Apprime de hac re ait P. Gagliardi : « Scien» dum est a S. Ignatio unionem cum Deo » non coarctari, nec proprie collocari in ele» vatione mentis ad Deum, cum recessu et » solitudine vitae contemplativae ; sed extendi » quam maxime ad opera quaecumque quo» tidianarum virtutum... Postquam homo est » plene exercitatus in duplici via purgativa » et illuminativa, tenetur in iisdem quotidia» nis suis functionibus quibuscumque, etiam » minimis, virtute perfecti amoris Deo con» jungi... » Paulo post addit idem Pater : « Vis unionis praecipue in voluntate consis» tit, non quatenus a speculatione intellectus

» pendet, sed quatenus habet vim imperandi » et exequendi opus quodcumque propter » Deum, et exhibendi se et omnia sua offe- » renda ipsi Deo, intentione quadam purissi- » ma gloriae ejus, addito his omnibus pro- » posito et desiderio conversandi in eodem » opere cum Deo ipso praesenti, et se totum » in eum transformandi. Hac enim intentione » operari, est simul uniri Deo practice... » Amor est excellentior et efficacior in opere » et voluntate, quam speculationis nudae con- » sortio : ita longe efficacius et plenius transit » in Deum, et transformatur homo, per hanc » unionem voluntatis et operis, quam per in- » tellectus elevationem; et haec eadem unio » dona a Deo infusa et divinam gratiam pro- » meretur majorem quam alia quaecumque. »

Idem docet Th. K. c. 35, cum ait : « Neque » tunc aliquid magni te reputes, aut speciali- » ter dilectum existimes, si in magna fueris » devotione atque dulcedine : quia in istis » non consistit verus amator virtutis; nec in » istis consistit profectus et perfectio homi- » nis. — In quo ergo, Domine? — In offe- » rendo te ex toto corde tuo voluntati divinae, » non quaerendo quae tua sunt : nec in parvo, » nec in magno, nec in tempore, nec in aeter- » nitate. Ita ut una aequali facie in gratiarum

» actione permaneas, inter prospera et con-
» traria. Si fueris tam fortis et longanimis in
» spe, ut subtracta interiori consolatione,
» etiam ad ampliora sustinenda cor tuum
» praeparaveris, nec te justificaveris, quasi
» haec tantaque pati non deberes, sed me in
» omnibus dispositionibus justificaveris, et
» sanctum laudaveris : tunc in vera et recta
» via pacis ambulas. »

Dicit S. P. : *magis in operibus, quam in verbis,* verba scilicet non excludens; modo verbis et affectibus opera plene respondeant. Non enim latuit S. Ignatium et verba, modo a voluntate, etiam cum rei formidine, proficiscantur, magna pollere efficacia; ut patet ex colloquiis et petitionibus praescriptis, ut exercitans obtineat velle quod nondum vult : *petendo,* ait in 16ª annot., *a Deo Domino nostro contrarium :* « Ille Deum, aiebat S. Franc. Sal., tandem
» amabit, qui indesinenter *Deus amo te* dixe-
» rit. »

Alterum, ait S. P., *(quod) amor consistit in communicatione (quae fit) ab utraque parte, scilicet ut det et communicet amans amato ea quae habet, vel ex iis quae habet vel potest, et sic vicissim amatus amanti; ita ut si alter habet scientiam, det illi qui eam non habet; si honores, si divitias; et sic (porro) alter alteri (vicissim).*

Hoc alterum intimam cum priore habet connexionem et viam ad quatuor puncta contemplationis explanat. Dixit enim S. P. amorem magis in operibus quam in verbis consistere : opera autem de quibus hic agit, non sunt alia, quam donare sua omnia et seipsum Deo. Ad hanc autem plenam et perfectam donationem puncta omnia hujus contemplationis contendunt, in qua substantialis unio consistit.

Notam R. P. Roothaan circa mutuam illam communicationem hic transcribimus : « Ita » mentem suam in autographo S. P. expres- » sit, ut ad amorem Dei erga hominem, ho- » minisque vicissim erga Deum, optime omnia » applicari possint : *communicet amans amato* » *et vicissim amatus amanti, ea quae habet, vel ex* » *iis quae habet vel potest*. — Cum enim *amans* » intelligatur Deus, homo vero *amatus :* apte » dicitur *amans* Deus *amato* homini commu- » nicare *ea quae habet, vel ex iis quae habet vel* » *potest*. Neque enim potest Deus infinitus, » quantumvis amans, finitae creaturae omnia, » quae habet ipse, communicare : recte vero » *ex iis quae habet vel potest,* communicare di- » citur, pro capacitate scilicet amati. »

Contemplatio

ad obtinendum amorem

Oratio (praeparatoria) solita.

Primum praeambulum *est compositio, quae hic est, videre quomodo consisto coram Deo Domino nostro, Angelis et Sanctis interpellantibus pro me.*

Hoc praeambulum merito inter solemniora S. P. N. est reponendum; percellit enim imaginationem, sublimissimo omnium spectaculo, hominemque in caelum rapit. Si praeambulum de Binariis excipias, ceterorum omnium loci compositio in terris, hic autem in ipsa caelesti curia quaeritur. Paucis verbis paradisi interiora panduntur : Deus, Angeli, Sancti, omnes in me benevoli. Quantum fiduciam pariunt voces illae : *interpellantibus pro me!*

Secundum praeambulum, *petere id quod volo. Erit hic petere cognitionem internam tot ac tantorum bonorum (a Deo) acceptorum, ut ego integre (haec) recognoscens (vel integro animi sensu) possim in omnibus amare et servire divinae suae Majestati.*

Ex hoc, sicut et ex priori praeambulo, liquet S. Ignatium in ipsammet infinitam et aeternam Deitatem exercitantis oculos defi-

gere, quatenus Ea se hominis amantem exhibet.

Cognitionem internam, scilicet eam, quae a solo Deo intus illuminante obtineri potest, quaeque ipsa beneficia spectans, eorum magnitudinem complectatur, ita ut anima divino lumine illustrata in admirationem et amorem rapiatur. Si lumen illud ordinarium modum non excedat, contemplatio affectus erit; si autem lumen accedat a Deo animae immediate infusum, contemplatio extraordinaria esse poterit, et ad unum ex praedictis quindecim gradibus pertinere, quod sane S. Ignatio hanc contemplationem facienti contingebat. De cognitione historica, quae externa dici potest, et in Christianis omnibus, immo et in multis Dei hostibus invenitur, dicendum est eam ad amorem excitandum esse inutilem, nisi lumen et motio Spiritus Sancti intus superveniant. De externa hac scientia dicit Th. Kemp. (1, 1.) : « Si scires totam bibliam exte» rius, et omnium philosophorum dicta, quid » totum prodesset sine charitate Dei et gra» tia? »

Ut ego integre (illa *tot ac tanta* ex parte Dei collata mihi beneficia) *recognoscens*, nova scilicet et reflexa indagatione et ponderatione, illuminante Dei gratia, haec dona aestimans

ac pro merito sentiens, *possim* tanto Dei in me amore provocatus, *in omnibus,* sive magnis, sive parvis, inter adversa sicut inter prospera, semper *amare* talem ac tantum Benefactorem, *et*, cum amor maxime in operibus consistat, *servire divinae suae Majestati.* Unde enim fit quod tot homines nec Deum ament, nec ei servire velint, nisi ex eo quod bonitatem, amorem, supereminentem benevolentiam et beneficentiam ejus interius ignorent, et nequaquam sensu apprehendant? Hinc Jesus, quamvis sciret vitam aeternam esse in caritate, eam esse in cognitione affirmavit. *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Quemadmodum enim, juxta dictum S. Ignatii, non potest amare Deum is qui eum bonum interne non novit, ita non tantum potest amare Deum, sed non potest non amare is qui bonitatem Dei intus per gratiam intelligit. Si vero amor ejus eo perfectionis venerit, ut voluntatem Dei sitiat, et dicat cum Christo : *Quae placita sunt ei facio semper;* per eam cum Dei voluntate conformitatem, ex amore prodeuntem, transformabitur in Deum, qua in transformatione unio consistit.

Primum punctum *est,* ait S. P., *adducere in memoriam beneficia accepta Creationis, Redemp-*

tionis, et dona particularia, ponderando multo cum affectu quantum fecerit Deus Dominus noster pro me; et quantum mihi dederit ex iis quae habet : et consequenter quantum idem Dominus desideret dare seipsum mihi in quantum potest, juxta divinam suam ordinationem; ac deinde reflectere in meipsum, considerando multa cum ratione et justitia, quae ego debeam ex mea parte offerre et dare suae divinae Majestati, scilicet omnia mea, et meipsum cum illis, ut qui (aliquid alteri) offert, multo cum affectu : Sume, etc.

Quod saepius ante notavimus, ut in meditationibus de peccatis, hic quoque notemus. Quatuor quidem in una contemplatione puncta congessit S. P., at certe non omnia in una hora contemplationis considerari voluit : 1°, quia materia per se ampla nimis est; 2°, quia sine profunda meditatione, ad intensum illum quem requirit affectum, et maxime ad heroïcam illam sui donationem, quam in fine primi puncti proponit, meditando per quartam horae partem, sine extraordinaria gratia perveniri non potest. Vix enim singulis punctis singulae horae sufficiant; neque is, qui integra peragit Exercitia, sine magna utilitate duos integros dies tantae materiae contemplationis attribuet. Directori igitur iterum committit S. Ignatius, ut pro capacitate et

dispositione exercitantis, contemplationem dividat et accommodet, etiam cum repetitionibus. Locum igitur et hic habet illud ex 2ª Annot. : *Non enim abundantia scientiae satiat animam, eique satisfacit, sed sentire ac gustare res interne.* Quae sententia hic maxime locum habebit; nam cognitio rerum quae hic proponuntur, licet sint summi ponderis, satis est pervulgata. Quapropter effectum a S. P. intentum per proprium laborem et divini luminis ope tantummodo potest afferre.

Idem sentit P. Alvarez de materiis contemplationis agens : « Haec omnia satis frequen-
» ter communi luce tractamus et evolvimus,
» sicut si gemmas pretiosissimas in crepus-
» culo, quando lux est satis modica, tractare-
» mus. At per contemplationem lux illa ro-
» boratur, et adjectione lucis sapientiae et
» intellectus ita perficitur, ut res has multo
» differentius quam antea videamus, et cum
» magna novitate maximas ac pretiosissimas
» cognoscamus, et ideo vehementer admire-
» mur. »

I. **Beneficium creationis,** creationis mundi, creationis meae.

1. *Creatio mundi propter me. Reliqua omnia,* ait S. P. *creata sunt propter hominem,* et dicere possum *propter me,* sicut Paulus ait :

Dilexit me. Ex magnitudine doni, amoris magnitudinem intellige. Propter me caeli firmamentum extendit; propter me fecit luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti. Propter me vocavit stellas et dixerunt : adsumus, ut mihi lucerent cum jucunditate. Propter me Deus terram firmavit eamque innumerarum arborum feracem, herbarum, florum omnis generis et fructuum fecit; propter me aera variis avibus implevit; propter me ipsa interiora terrae thesauris ditavit; propter me et stagna, et rivos aquarum et flumina et maria creavit, eaque omnigenorum piscium fecit habitacula; propter me, specie et numero infinita creavit animantia. Et haec omnia ex amore mei, ad meam necessitatem, utilitatem, immo et delectationem.

2. *Propria mea creatio*. Creavit me Deus non ut sibi quidquam incrementi accederet, sed ex gratuito ac purissimo amore mei; parato hujus orbis palatio, me totius visibilis creationis regem constituit. Fecit me ad imaginem et similitudinem suam; me ad statum supernaturalem, ad statum gratiae evexit; mihi divinam vitam suam inspiravit, ut pater, et fecit me filium suum ad imaginem ipsam aeterni Filii sui; ideo et nomine Patris

voluit a me appellari : *Pater noster, qui es in caelis;* me divinae suae naturae, quantum creaturae concessum est, consortem fieri et fratrem a Filio suo vocari voluit : *dicite fratribus meis;* quantum potuit, divinum me fecit : *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes* (Ps. 81, 6).

Sed quid haec omnia, si cum futura, quae me in aeternum manet, gloria comparentur? Quam sordet tellus, cum caelum aspicio! *Filii Dei nominamur et sumus* (1 Jo. 3. 1). Audi nunc Paulum : *si autem filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (Rom. 8, 17).

Quanta autem hereditas illa sit, quanta Sanctorum gloria, quanta felicitas, nec humana mens suspicari, nec ulla lingua potest exprimere. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (1. Cor. 2, 9). Quando gloria illa nobis apparebit, tunc, juxta S. Petrum, *exsultabimus laetitia inenarrabili, reportantes finem fidei nostrae, salutem animarum.* Propheta adhuc degens in terris, exclamabat : *Caro mea et cor meum exsultaverunt in Deum vivum* (Ps. 33, 3), et : *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te* (Ps. 30, 20)!

Et ad tantam beatitudinem in aeternum

mansuram me creavit. Cum nondum existerem, immo ab aeterno ita me amavit, ut in infinitam gloriae suae ac beatitudinis abyssum, quantum capax finita creatura est, demergeret. Ex quo igitur fonte prodivi? Ex amore Dei : *Charitate perpetua dilexi te, et attraxi te miserans,* sicut mater trahit ad se filiolum, ut eum pectori suo admoveat. Qualis erit animae stupor, cum caelum ingressa amorem Dei percipiet!

II. **Beneficium Redemptionis**. Redemptionis beneficium, sicut omnium divinarum operationum ad extra, opus est Dei et totius sanctissimae Trinitatis. Ideo in missa sacerdos ante communionem dicit : « Domine Jesu » Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Pa- » tris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem » tuam mundum vivificasti. » *Sic Deus* (Pater) *dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret;* amor Spiritus Sancti inflammavit Filium ut caro fieret et pro me atrocissima morte moreretur in cruce. Omnia ex amore Dei.

Hic igitur tres divinae Personae, ut in contemplatione de Incarnatione, proponuntur : Considerare *quomodo tres Personae divinae speculantes ambitum totius mundi, et videntes quod omnes descendunt ad infernum, decernunt in sua aeternitate salvare mundum : Faciamus redemp-*

tionem generis humani; secunda Persona homo fiat. Ubi autem tempus advenit, tres divinae Personae operantur sanctissimam Incarnationem.

Si attendas primo infinitam divini Verbi, tum dignitatem, tum exinanitionem, secundo, pro perversis homunculis SS. Trinitatem eo misericordiae devenisse, reperies hoc decretum esse amoris prorsus inexplicabilis et infiniti : *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est* (Rom. 5, 8).

Christus Jesus cum Patre et Spiritu Sancto unus est : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* Ita tres divinae Personae, ita Deus dilexit me, ut pro me Verbum Dei, quod erat apud Deum, Deus ipse, incarnando se, creaturam ex Creatore se fecerit, ex domino servum, ex infinito finitum. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Factus autem homo, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Phil. 2, 7, 9). Actus quantuluscumque Verbi, utpote valoris infiniti, ad salvandos mundos numero infinitos satis fuisset; parum autem fuit amori

Verbi, amori SS. Trinitatis in me : *Humiliavit semetipsum, factus obediens* (Patri suo) *usque ad mortem, mortem autem crucis*. Toto Passionis tempore me SS. Trinitas adeo adamavit, ut divinitas absconderet se, et sineret sanctissimam Christi humanitatem *pati tam crudelissime*.

Intelligis quantum te amaverit Deus, et quantum de iis quae habet tibi dederit, et consequenter quantum desideret dare seipsum tibi is, qui *proprio Filio suo non pepercit, sed* pro te *tradidit illum;* qui jussit pro te eum ad ultimam usque guttam fundere sanguinem?

III. **Dona particularia.** 1. Membrum me fecit Sanctae Ecclesiae, quam acquisivit Jesus sanguine suo. In ea, dum tot homines in umbra mortis sedent, lumine fidei illustratus, baptizatus sum, et deleta labe originali, factus sum filius Dei, gratia in novum hominem immutatus et futurus incola paradisi Dei. Tantorum beneficiorum immemor, quoties Deum graviter offendi! Quoties et Jesus in Sacramento misericordiae iterum atque iterum aspersit me aqua et sanguine Cordis sui! — At, quod maximum amoris signum est, ita me dilexit Deus, ut carnem et sanguinem Filii sui in cibum dederit et potum, ut mediante carne illa et sanguine, tota SS. Trinitas in

me, quasi in templo suo, habitaret; quo amore ipsi Angeli in stuporem rapiuntur.

2. Hucusque a nativitate, insigni erga me usus est Providentia. Nasci me voluit ex christianis piisque parentibus, qui me ab infantia Dei timorem docuere bonisque magistris tradidere virtute et scientia imbuendum. Ab innumeris, tum corporis, tum animae periculis me servavit incolumem. Ubi vero, tanti amoris immemor, mortali peccato offensam ejus incurreram, aeternis poenis merito plectendus, me hac in voluntate mori non est passus, sed me salutaribus agitans remorsibus, ad poenitentiam adduxit, poenitentemque excepit, ac non raro dulci consolatione in caelesti Corporis et Sanguinis sui convivio, filium prodigum, recreavit. Innumeris luminibus me illustravit; forte et me tantopere indignum ad sacerdotalem dignitatem, aut ad statum religiosum vocavit, *suscitans me a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocaret me cum principibus, cum principibus populi sui.*

3. Ast quid Deo retribuam pro omnibus quae praesentibus hisce in Exercitiis retribuit! O quam magna fuit multitudo dulcedinis tuae, Domine!

Huic puncto multum insistat exercitans,

atque a prima exorsus hebdomada, et inde per ceteras, gratias quas cum tanta liberalitate et amore Deus sibi impertiit, mente et affectu recolat, internas consolationes, intensum de peccatis dolorem et intimum de plena eorum remissione sensum, insolitas illuminationes, intimam cognitionem Jesu atque ejus amorem, vocationem forte ad altissima pro Deo facienda, etc. Neque ista omnia simpliciter memoria recognoscat, sed *ponderando cum multo affectu :* quae verba singula bene attendenda sunt. Nisi enim exercitans *ponderando* beneficia, de eorum magnitudine profundam persuasionem habuerit; nisi et *multo cum affectu* in hoc processerit, poterit quidem pie donationem sui quae sequitur recitare, sed ad eam ex corde sincere emittendam nequaquam erit comparatus. Nam agitur hic, non de piis quibusdam affectibus exprimendis, sed de perfecta sui ipsius traditione, scilicet de re omnium difficillima et summa, per quam homo, plena de se parta victoria, sibi ipsi in perpetuum omnino moriatur, ut soli Deo vivat. Qui illuc pervenit, perfectam charitatem perfectamque unionem assecutus est, et in via verae sanctitatis ambulat. Quam pauci eo usque ascendunt et sincere cum S. Ignatio dicunt : *Omnia ad majorem Dei gloriam!*

Mortui estis, et vita vestra est adscondita cum Christo in Deo (Col. 3, 3). Qui consideraverit primos patres fuisse ad hunc apicem a S. Ignatio per Exercitia provectos, ingentia eorum opera mirabitur quidem, sed ad haec non stupebit.

Quid tamen si quae praeclarissima fecere Sancti, cum iis quae fecit Deus comparentur? Quis enim ille est, qui tanto me praevenit amore? *Deus* meus, ait S. Ignatius, infinitus divitiis, perfectionibus, gloria ac felicitate, qui nullius eget, qui omnia et me possidet; *Dominus* meus, cui ergo nil dare possum quod jam ipse non habet. Ego vero quid sum, nisi pulvis et peccatum? Me tamen non solum pertulit, sed ita dilexit, ut incredibilia pro me fecerit, nec fecerit tantum, sed et ineffabilia mihi dederit *ex iis quae habet, et consequenter idem Dominus desideret dare seipsum mihi in quantum potest. Desideret dare*, non simpliciter *det*, quia ut dare se per unionem possit, requiritur ut et ego ei dedam meipsum : amor enim perfectus esse non potest, ubi mutua et condigna non adest communicatio bonorum. Jam vero condigna bonorum meorum non erit communicatio, nisi et meipsum totum ei dedero.

Cum autem S. P. donationem sui ad quam

exercitantem movet, nec seriam, nec plenam, nec duraturam esse posse sentiat, nisi rationi et persuasioni innitatur, cumque compertum habeat affectus, si soli sint, facile evanescere, haec addit : *cum multa ratione et justitia. Rationes* enim omnes mente perpendendae sunt; justitia autem voluntatem spectat, quae nihil sibi reservare potest, quod minus integram sui donationem efficiat. Haec quidem donatio, si cum divina donatione componatur, quasi nihilum apparebit; verumtamen erit tota ac Deo sufficiet, qui ab homine non aliud petit quam quod is dare potest. Totum vero hominem requirit, quia Deus est et supremus Dominus, et quia totum ipse se dedit.

De hac donatione passim agit Auctor Imitationis Christi, sed maxime in cap. 37, *L. III :* « Fili, relinque te, et invenies me. — Domine, » in quibus me relinquam? — Semper, et » omni hora : sicut in parvo, sic et in magno. » Nihil excipio, sed in omnibus te nudatum » inveniri volo. » Poteris quidem, te in mandatis continendo, salvus fieri, sed ad unionem non pertinges. « Alioquin, quomodo poteris » esse meus, et ego tuus, nisi ab omni propria » voluntate fueris intus et foris spoliatus? — » Dixi tibi saepissime, et nunc iterum dico : » Relinque te, resigna te, et frueris magna

» interna pace. Da totum pro toto : nil ex-
» quire, nil repete : sta pure et inhaesitanter
» in me, et *habebis me.* »

Accedit tandem in fine primi puncti celeberrima illa donationis formula : *Sume, Domine, et suscipe omnem meam libertatem, meam memoriam, meum intellectum, et omnem voluntatem meam, quidquid habeo et possideo* (en universalem et absolutam donationem); *tu mihi haec omnia dedisti, tibi, Domine, ea restituo : omnia sunt tua, dispone (de illis) pro omni voluntate tua. Da mihi amorem tuum, et gratiam, nam haec mihi sufficit.* Quam formulam fuse et eximie A. R. P. Roothaan in notis suis explanavit.

Secundum punctum. — *Attendere quomodo Deus habitat in creaturis; in elementis, dans esse; in plantis, dans vegetare; in animalibus, dans sentire; in hominibus, dans intelligere : et ita in me (habitat) dans mihi esse, vivere, sentire, et faciens me intelligere : item faciens me templum (sui), cum creatus sim ad similitudinem et imaginem suae divinae Majestatis : similiter reflectendo ad meipsum, eo modo quo dictum est in primo puncto, vel alio (si) quem sensero meliorem. Eadem ratione fiet super quolibet puncto quod sequitur.*

Quis nexus punctum hoc inter et primum intercedit? In primo puncto retrospiciens ex-

ercitans et omnia a divina Bonitate collata sibi beneficia in memoriam revocans, ardentem, juvante gratia, amorem in Deum excitavit, eoque feliciter pervenit, ut perpetua se donatione traderet. Restat ut firmiter stet in proposito, neque se resumat, quod non raro fit : « Quidam, ait Th. Kemp. (loco cit.) primo » totum offerunt, sed postea tentatione pul- » sati, ad propria redeunt : ideo minime in » virtute proficiunt. Hi ad veram puri cordis » libertatem et jucundae familiaritatis meae » gratiam non pertingent, nisi integra resig- » natione et quotidiana sui immolatione prius » facta : sine qua non stat, nec stabit unio » fruitiva. »

Jam vero cur multi a sincera etiam donatione recedunt, nisi quod creaturis illectentur? Hujus periculi gnarus Ignatius illecebris creaturarum Dei Creatoris suavitatem opponit; ita ut divini amoris ignem creaturarum usus non solum non exstinguat, sed et enutriat. Quam periculosae sint Creaturae, et quot in peccata homines rapiant, quotidiana experientia demonstrat. Huic periculo occurrit S. P., et ad suum finem, ut in Fundamento explicavit, creaturas refert : reliqua creavit Deus, *ut juvent* hominem *in prosecutione finis, ob quem creatus est*. Finis autem hic, amor

nempe et servitium divinae Majestatis, per creaturas, usu, abstinentia et contemplatione obtinetur. Ultimum hunc modum, scilicet contemplationis, in hac meditatione nobis proponit S. P. : in omnibus nimirum creaturis praesentem et infinite amantem exhibet Deum, ut amoenitatibus creaturarum quasi per scalam ad Deum etiam ascendamus.

Haec scala est illa Jacob, quae *stabat super terram* (locum creaturarum), *et cacumen illius tangebat caelos; Angeli quoque ascendebant et descendebant per eam;* et vidit Jacob *Dominum innixum scalae dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham, patris tui, et Deus Isaac* (GEN. 28, 12, SQ.).

Attendere, ait hic S. P., *quomodo Deus habitat in creaturis.* Quare non dicit, ut in sequenti puncto, *considerare,* sed simpliciter *attendere?* Quia nulla hic indagatione opus est, nec ulla ratiocinatione : pervia enim omnibus omnipraesentia Dei est; sed quam pauci praesentiam Dei in creaturis attendunt! Creaturas ipsas solas in se earumque vel commoda vel incommoda percipiunt : hinc abusus creaturarum, hinc omnia peccata. Ordinem restaurat S. P., ostendendo Deum praesentem, eumdemque cum summa erga hominem benevolentia in singulis creaturis habitantem. Ut-

que in omni creatura habitantem eum ostendat, regnum creaturarum in quatuor partes dividit, et evidens argumentum divinae ac necessariae praesentiae apponit dicens : *dans esse, dans vivere,* etc. Etenim nec esse, nec vivere, etc. creaturae haberent, nisi Deus eis esse, vivere, etc. continua virtute tribueret, et consequenter actu praesens in eis existeret.

Hinc intelligitur punctum hoc a sequenti multum discrepare; hic enim agentem Deum S. P. exhibet, ut ejus praesentiam, in tertio autem puncto, ut ejus laborem consideremus.

Potuisset quidem S. P. totam rem paucis ita complecti : Deum praesentem in omnibus creaturis contemplare. Sed rem tritam dixisset, et animum attentum *(attendere)* non fecisset. Ideo, ut hanc Dei praesentiam vivide exprimat, non solum rationi eam probat, sed imaginationem percellit, ostendendo Deum in singulis creaturarum generibus. Modus ille contemplationis jucundissimus est et ad vitam spiritualem accommodatissimus, eumque sanctis valde familiarem fuisse constat ex eorum vitis. Solus flosculi camporum aspectus S. Ignatium amore in Deum incendebat : in flosculo videlicet Dei amabilitatem observabat. Panem quo vescebatur tanquam ab optimo Patre benigne porrectum accipiebat, et in usu

omnium creaturarum, divini amoris nova indesinenter inveniebat argumenta. Et re quidem vera, unde Deus continua creatione res visibiles omnes et invisibiles producit, nisi ex amore? *Reliqua super faciem terrae sita creata sunt propter hominem,* ita ut nulla creatura existat, in qua Deum esse praesentem et homini blandientem certissimum non sit. Ast animalis homo sola creaturarum fruitione, more pecorum, contentus, non percipit ea quae sunt Spiritus Dei. *Ambula coram Deo,* ubique praesente, *et esto perfectus.*

Inde ad praecipuam et eminentem Dei praesentiam transit S. P. : *Item faciens me templum (sui), cum creatus sim ad similitudinem et imaginem suae divinae Majestatis.*

Quod homo sit templum Dei probatur ex 2. Cor. 6, 16 : *Vos estis templum Dei vivi.* Id autem confirmat S. P. ex Genesi. Ex eo enim quod ad similitudinem et imaginem Dei homo creatus sit, concludit hominem esse templum Dei. Quomodo ex conditione illa creationis fluat conclusio, jam est explicandum :

1. Debet esse templum Dei in loco totius orbis dignissimo. Nullus autem dignior in eo locus est, quam anima hominis, quae non tantum esse, vivere et sentire habet, sed et intelligere.

2. In ceteris creaturis habitat quidem Deus, sed solum ut typus : opera enim sunt potentiae et sapientiae Dei. In anima autem hominis habitat Deus ut archetypus, totam scilicet illam ad similitudinem et imaginem suam informans. Hoc sensu nullus hominum est, qui templum Dei non sit. At quemadmodum imaginem illam vitiis suis deturpare, ita et virtutibus eam potest honestare et perficere. Qui vero animam suam sceleribus contaminat, is templum convertit in stabulum, in eoque idola diabolo dicata turpiter collocat.

3. Ibi est templum Dei, ubi Deus adoratur sacrificiisque colitur : quos honores a solâ hominis anima tribui posse perspicuum est. Hunc sensum Jesus spectabat, cum mulieri Samaritanae dicenti : *Vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet,* ita responderet : *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit qui adorent eum. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (Jo. 4, 28, sq.). Lapideae quidem ecclesiae Christo eucharistico aedificantur, ut in eis et SS. Sacramentum asservetur, et fideles congregentur, sed eae nequaquam sunt verum et praecipuum templum Christi. Manet quidem in eis Jesus,

sed ut in verum suum templum, scilicet in animas justas, ingredi possit.

4. Deus ibi suum domicilium eligit, ubi diligitur et invenit quod ipse diligat. Jam vero anima justa, anima sancta diligit Deum et diligitur a Deo. *Deliciae meae esse cum filiis hominum* (PROV. 8, 31) : stupenda illa est Dei dignatio. Christus autem dixit de SS. Trinitate : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et* MANSIONEM *apud eum faciemus* (Jo. 14, 23).

Quantum lumen, quantum auxilium, quantum in hoc exilio solatium nobis inde contingeret, si divinam in nobis praesentiam *attendentes,* in exteriora non effusi, vita interiore viveremus! Hac vita vivebat S. Franciscus, qui intuens in se Deum, exclamabat : *Deus meus et omnia!* Audi Th. Kemp. : « Regnum » Dei intra vos est, dicit Dominus. Converte » te ex toto corde tuo ad Dominum, et relin- » que hunc miserum mundum, et inveniet » anima tua requiem. Disce exteriora con- » temnere, et ad interiora te dare : et videbis » regnum Dei intra te venire. Est enim reg- » num Dei pax et gaudium in Spiritu Sancto, » quod non datur impiis » (L. II, 1).

Cur non loquitur hic S. P. de reali Christi in SS. Eucharistia praesentia? Quia non erat

hic locus : de Deo enim in hac contemplatione agit, qui ubique praesens est. De Deo, inquam, agit, ut divinae ejus praesentiae attendentes, ubique et quasi sine intermissione eum videre, amare et amplecti assuescamus.

Qui hoc secundum punctum rite intellexerit et *cum magno affectu* perpenderit, facile in seipsum reflectet, et ultro inveniet quo animo debeat offerre se Deo.

Tertium punctum. — *Considerare quomodo Deus operatur et laborat propter me in omnibus rebus creatis super faciem terrae, id est, habet se ad modum laborantis, ut in caelis, elementis, plantis, fructibus, gregibus, etc. : dando esse, conservando, donando vegetationem et sensum, etc. Dein reflectere ad me.*

Adverte S. Patrem de Jesu laborante et patiente hoc in loco minime esse locutum. Labores enim et dolores Christi in tertia hebdomada consideravimus, et eos finem cepisse novimus; operatio vero divina quam jam sumus contemplaturi, sempiterna est.

Praemonuit nos ab initio S. Ignatius, *quod amor debet poni magis in operibus, quam in verbis*. Et ecce Deum quasi infinite pro me laborantem exhibet, ut exciter et ego, per bonorum communicationem, ad plurimos pro Deo labores suscipiendos.

Magni sane amoris testimonium est, quod praesens ipse Deus, quasi propria manu, sua omnia dona praestare velit; sed quanto majus est, quod Deus in omnibus et singulis creaturis pro me variis modis operetur ac laboret! Quod Deus ubique praesens sit, necessarium est, quia Deus est; quod erga hominem se benevolum semper et amabilem exhibeat, hic amor est ac plane paternus affectus. At quod in singulis creaturis atque in singulis earum partibus sine ulla intermissione laboret propter me, hoc amoris signum est prope infiniti, qui humanam cogitationem in immensum superat. Quod Deus sit in omnibus praesens, hoc quasi unico intuitu percipitur; labores vero Dei tot et tanti sunt, ut solus ipse Deus eos aut nosse aut numerare valeat. *Propter me,* non propter homines, nam hic quod omnibus commune est, stricto sensu singulis est proprium; nota antithesim : *in omnibus... propter me.*

Id est, habet se ad modum laborantis, scilicet sine fatigatione et sine virium dispendio, quia omnia actu uno et simplicissimo Deus operatur.

Ut in caelis, etc.; pauca tantum in genere innuit S. P., sed campum aperit meditanti infinitum, cui emetiendo vita omnium homi-

num non sufficiat. Infinitus enim nobis est creaturarum numerus : quis autem in singulis earum omnem Dei laborem comprehendat? Quantus labor in caelis, si innumerabilium astrorum creationem, conservationem, regimen et actionem consideremus! Quanta solo in sole operatur Deus! Quantum laborat in semine, dein in cauliculis et in spicis, ut frumentum quo vescor mihi procuret! Quantum in floribus, in avibus, ut me recreet! Discursus hic est infinitus.

Quantum praesertim in me laborat, efficiens me intelligere, rerum causas detegere, et apte concludere! Sed quid haec si cum operationibus divinae gratiae comparentur? Quam mirabiliter gratia sua in me operatus est Spiritus Dei!

Deinde reflectere ad me. Cum amor consistat in mutua bonorum communicatione, cumque Deus pro me semper in omnibus creaturis et in meipso operetur ac laboret, quomodo potero vere ego amare Deum, nisi ad ejus laudem, amorem et servitium per totam vitam meam operari velim et laborare? Absit a me, ut aliqua offeram Deo, cetera mihi reservem! Omnia mea ejus sunt, ipsi debeo omnia. O utinam opera ei gratissima praestare possim! Utinam cum eo in procuranda per labores,

per proprii sanguinis effusionem, salute animarum operari valeam! Divinorum omnium, ait S. Dionysius, divinissimum est cooperari Deo in salute animarum. Ideo Xaverius, heroicus ille servator animarum, exclamabat : *Domine, da mihi animas, cetera tolle tibi.*

Optimam superaddit cogitationem R. P. Roothaan : « Respondebit item ille affectus : » ut Deum in omnibus creaturis *operantem* con- » templans, discam viva fide, quaecumque a » creaturis mihi obveniant, sive grata illa » sint, sive ingrata, omnia prorsus, tanquam » de ipsius Dei manu admittere et excipere, » et omnia prorsus tanquam Ejus munera et » beneficia infinito amore in me collata, ut » vere sunt omnino omnia. Nec enim est *ma-* » *lum in civitate, quod Dominus non fecerit* (Amos » c. 3); et : *diligentibus Deum omnia cooperantur* » *in bonum* (Rom. 8). Unde merito *semper et* » *ubique* Deo *gratias agam in omnibus.*

In tribus praecedentibus punctis dona Dei, scilicet ea omnia quae ab amore Dei nobis obveniunt, contemplatus sum, ut ea *integre recognoscens, possim in omnibus* per vires grati animi, *Deum amare et servire divinae ejus Majestati.* In quarto autem puncto a beneficiis ad Benefactorem ipsum, a donis ad Donatorem, a rivulis ad eorum fontem, ad infinitum nempe Dei

amoris oceanum transeo. Hic igitur ad altissimam contemplationem et ad divinam unionem ascenditur.

R. P. Roothaan de quarto illo puncto praeclare disserentem audiamus : « Quartum punc» tum continet rationem amoris Dei purissimi » ac perfectissimi, scilicet, *propter ipsum solum* » ejusque perfectiones infinitas. Quae ratio » Deum amandi merito ad ultimum punctum » reservata est a S. Patre. Ad hanc tamen » perfectissimi amoris rationem viam ster» nunt, tum *secundum,* tum *tertium* punctum, » dum in creaturis Deum ipsum cernere *prae*» *sentem* et *operantem* docent ; sed habent illa » adhuc annexam considerationem boni, quod » inde *ad nos* derivatur ; nam et in secundo » dicitur : *dans... dans mihi,* et in tertio : *prop*» *ter me :* in hoc vero quarto puncto a bono » nostro fit abstractio, et pura purissima pro» ponitur ratio perfectionis absolutae in Deo, » ad quam contemplandam introducimur con» sideratione perfectionum, quas in creaturis » deprehendimus, quaeque, quantumvis in» signes nobis videantur, non sunt tamen nisi » radii, nonnisi rivuli infinitae illius perfec» tionis. »

Quartum punctum. — *Speculari quomodo omnia bona et dona descendunt desursum, ut mea li-*

mitata potentia a summa et infinita illa desursum : et eodem modo justitia, bonitas, pietas, misericordia, etc., sicut a sole descendunt radii, a fonte aquae, etc.

Simplicissime quidem et brevissime illa dicuntur, sed sublimissima in se continent ac divina. Omittuntur hic jam omnia *reliqua super faciem terrae sita,* et solus homo sistit coram Deo, ut creata ac finita despiciens, solum Deum contempletur, amet, atque quasi per praegustatam Sanctorum felicitatem totus illi uniatur.

Ubi enim coram Deo ita consistit homo, finitus coram infinito, extra se raptus agnoscit se esse sicut guttulam in oceano infinito latentem. Sic S. P. humilitati et abnegationi, quam toto in Exercitiorum decursu commendavit, coronidem imponit sublimissimam. Quid enim amplius de se homo cogitet, qua se consideratione dignum aestimet, ubi Deum vidit? Radius redit ad solem ac in eo non apparet, rivulus redit ad oceanum atque similiter in oceano se abscondit.

Ultimo hoc puncto nihil altius potest excogitari. Si quis enim cum ea dispositione quam supponunt facta jam Exercitia, huic contemplationi animum intenderit, supremum gradum contemplationis ordinariae attinget. Si

autem eum Deus ad vias extraordinarias vocare voluerit, erit ad eas paratissimus; immo paratus erit ad supremos contemplationis gradus, scilicet ad visionem illam intellectualem, in qua animae, ab omni re creata et a seipsa abstractae, non per imagines, sed per seipsum Deus se revelat, cum tanta animae reverentia et tanto gaudio, ut omnem conceptum et linguarum nostrarum vocabula excedant. Ad hunc contemplationis apicem ab initio conversionis suae pervenerat S. P. N., atque in eo ad mortem usque permansit.

« Ceterum, ait R. P. Roothaan, brevissimis » punctis materiam contemplandi copiosis- » simam, immo vero infinitam S. P. N. com- » plexus est, quam qui animo purgato riteque » disposito tractare aggrediatur, finem aut » terminum, dum vivit mortalem hanc vitam, » non inveniet. Vere enim hic vena ostendi- » tur, seu *fons aquae salientis in vitam aeter-* » *nam.* »

Hoc autem modo non minus praeclare concludit : « Pro conclusione hujus pulcherrimi » argumenti de *amore Dei* juvat repetere, quod » in nota huic contemplationi praemissa in- » nuimus, veram nostri *abnegationem* esse *con-* » *ditionem sine qua non* possimus eo pertingere, » quo haec contemplatio nos invitat. Itaque

» aureum illud documentum, quod a S. P.
» positum est in fine secundae hebdomadae,
» et ad quod exercendum omnia S. P. N. Ex-
» ercitia nos ducunt et impellunt, hic adscri-
» bere operae pretium visum est : *Hoc unus-*
» *quisque persuasum habeat,* TANTUM *se in studiis*
» *spiritualibus* (quorum finis ac terminus est
» perfectus Dei amor) *promoturum esse,* QUAN-
» TUM *ab amore sui ipsius et proprii commodi*
» *affectione sese abstraxerit.* »

Finire cum colloquio, et *Pater noster.*

Tres modi orandi

Primus orandi modus super praeceptis

Primus orandi modus, ait S. P., *est circa decem praecepta, et septem peccata mortalia, tres potentias animae, et quinque sensus corporis : qui modus orandi est potius dare formam et exercitia quibus anima se praeparet, et in illis proficiat, et ut oratio accepta sit Deo, quam dare formam et modum aliquem orandi (proprie dictum).*

Monet in his ultimis verbis S. P. non esse hunc orandi modum proprie dictum; oratio enim vel vocalis est vel mentalis; mentalis autem est vel meditatio vel contemplatio, ad nullum autem eorum modorum pertinet hic primus orandi modus; est igitur oratio sui generis. Finis autem ejus is esse videtur, ad quem prima conspirat hebdomada, animam nempe ad illustrem, exactam et dolorosam peccatorum confessionem et ad seriam et solidam vitae emendationem disponere. Et ea quidem nulla ad confessionem praeparatio melior haberi potest. Notatur enim in primis petitio gratiae ad cognoscenda et emendanda peccata; deinde ipsa materia quae inspicienda est ut in cognitionem peccatorum tuorum venias, praecepta, peccata capitalia,

peccata sensuum; notatur meditatio, qua intelligentiam praeceptorum et inde peccatorum tuorum gravitatem sentias ac de iis doleas; notatur eorum humilis accusatio : *accusando me in illis;* notantur firmum emendandi te propositum, et in fine colloquium *juxta subjectam materiam,* scilicet actus contritionis; quae partes omnes perfectam et completam praeparationem ad confessionem peccatorum constituunt. Attamen, etiam extra occasionem confessionis, istud exercitium non sine magna spirituali fiet utilitate, tum ad animae purgationem augendam, tum ad obtinendum in odio peccati atque in humilitate progressum.

Ex his igitur liquet primum orandi modum ad primam hebdomadam esse referendum, illumque non rudibus tantum, quamvis iis praecipue, esse proponendum. Non equidem in fine Exercitiorum modos illos orandi posuit S. P., ut in fine tantum exercerentur, quemadmodum regulas discretionis spirituum ad calcem libri non descripsit, ut post facta solum Exercitia applicarentur. Ceterum hoc cum decima octava Annotatione concordat, in qua iis qui exigui sunt ingenii, aut qui tantum instrui cupiunt ut ad aliquem gradum quietis internae perveniant, dari posse dicit S. P. inter alia primum orandi modum. Quis autem

non videat illum orandi modum et iis qui integra peragunt Exercitia, ut ad confessionem praeparentur, fore perutilem? Perfecte enim cum meditationibus de triplici peccato ac de propriis peccatis conspirat et eumdem finem prosequitur. Attamen curandum est, ut ea praecepta tantum in examine proponantur, contra quae quis aut peccavit, aut peccare in posterum possit; neque ille est imitandus qui ab bonas moniales verba faciens, terribilem contra blasphemiam et ebrietatem concionem evomuit.

Ex eo tamen quod in hoc orandi modo peccata quaerantur, ne inferas hoc exercitium esse examini, sive generali sive particulari, assimilandum : non enim simplex cum proposito examen instituitur, sed examini vera, etsi brevior, jungitur meditatio. Suam quippe habet hic orandi modus praeviam additionem a S. P. accuratissime expositam; suam habet orationem praeparatoriam, et suum in fine colloquium. In ipso hujus exercitii corpore, tres animae potentiae duplici considerationi per vices applicantur, quarum considerationum prior circa praeceptum ipsum versatur, altera circa modum quo praeceptum servatum sit. Namque hic non est ita intelligendus S. P., ut simplex memoriae exercitium circa

commissa peccata cum actu contritionis praescribat, sicut in examine generali; sed seriam intellectus et voluntatis intentionem requirit: ita ut anima coram Deo, fusius etiam, si velit, secum reputet, hinc sensum, naturam, pulchritudinem, utilitatem aut etiam necessitatem praecepti, illinc vero transgressionis ejus gravitatem, turpitudinem, malitiam, ejusque tum in tempore, tum in aeternitate poenam. Inde in voluntate existet vehemens dolor, cum firmo eadem peccata non amplius committendi proposito.

De natura hujus Exercitii dicit S. P.: *qui modus orandi est potius* (quam stricte dicta meditatio) *dare formam* (aliquam specialem, quae istud exercitium ab examinibus, a meditatione, a contemplatione distinguat); *modum,* praescribendo orationem praeparatoriam post recollectionem animi, dein considerationem praecepti, indagationem peccatorum et colloquium), *et quaedam exercitia* (scilicet tum circa praecepta, tum circa peccata capitalia, tum circa tres animae potentias, tum circa quinque sensus corporis).

Triplicem autem modi hujus orandi fructum indicat: 1. *Quibus* (exercitiis) *anima se praeparet* ad bonam, immo ad eximiam confessionem et ad perfectam vitae emendationem. 2. *Et in*

illis proficiat, scilicet ut dolorem majorem de peccatis concipiat, dolorque ille et horror non extendatur modo generali ad omnia, sed in specie ad singula peccata. Hinc etiam major ille, quem maxime intendit S. P., humiliationis sensus. 3. *Et ut oratio accepta sit Deo.* Nulla enim alia dispositione anima ad divinum consortium fit aptior quam magna ex peccatorum et miseriarum sensu humiliatione voluntaria; nulla re etiam Deus magis movetur ad spiritum orationis, immo ad eminentia dona quaecumque concedenda. Exemplo sit ipse S. P. N., ut toties jam diximus. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit : et donec propinquet non consolabitur : et non discedet donec Altissimus aspiciat* (Eccli. 35, 21). De voluntaria et vera humiliatione, quae sola vera sapientia est, illud dicendum : *Omnia bona venerunt mihi pariter cum illa* (Sap. 7, 11). Idem dixit et illa Virgo, quae divinae Sapientiae Mater est : *Respexit humilitatem ancillae suae... Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.*

Quanti S. P. hunc orandi modum faciat, ex sequentibus in eo peragendo servandis praescriptionibus non obscure apparet.

1. *Primo, fiat aequivalens secundae Additioni secundae hebdomadae, scilicet, antequam intrem*

in orationem, quiescat paululum spiritus (ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo tentans Deum), (Eccli. 18, 23.) *sedendo, vel ambulando, prout melius ei videbitur* (non ad proprium commodum, sed ad spiritualem profectum attendendo). Quid autem sit in illa recollectione agendum audi : *considerando quo vadam et ad quid. Quo vadam,* in singularem videlicet Dei conspectum : ut nimirum ex aspectu tum infinitae Dei perfectionis, tum profundissimae meae miseriae, accedam ad Dominum humillime. *Et ad quid?* ad rem summi momenti, ad divinam Dei legem considerandam, et ad iniquitates meas recolendas et magna animi contritione detestandas. — Addit S. P. : *et haec eadem Additio fiet ad initium omnium Modorum orandi.*

2. *(Dein fiat) oratio quaedam praeparatoria* (praeambulis non est hic locus) : *veluti petere gratiam a Deo Domino nostro, ut possim cognoscere in quo defecerim circa decem praecepta* (en examen; sequitur emendatio, quae dolorem praesupponit) : *et item petere gratiam et auxilium* (nam ex me nihil possum) *ad emendandum me in posterum.* Ut autem et cognoscantur peccata et in posterum vitentur, examini aliquam meditationem praemittamus necesse est, qua legem ipsam Dei intelligamus : *pos-*

tulando perfectam intelligentiam illorum. Perfectam, quae non solum praecepta spectet, sed simul intellecta praeceptorum justitia, gravitate, pulchritudine, vim magnam in voluntate pariat *ad melius ea servanda* in posterum, *et ad majorem gloriam et laudem suae divinae Majestatis;* quibus ultimis verbis vir Dei gloriae semper et unice intentus, Ignatius, non tam commodo nostro, etiam aeterno, nos duci debere adnotat, quam amore et dilectione Dei, ejusque gloriae desiderio. His sensibus plenus est Psalmus 118, quem apposite S. Ecclesia nobis sacerdotibus in parvis Horis quotidie recitandum praescripsit, ut tota die dilectam Dei legem ob oculos haberemus : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini... Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum : et exquiram semper... Defecit in salutare tuum anima mea... Mirabilia testimonia tua : ideo scrutata est ea anima mea.*

3. *Pro primo Modo orandi, convenit considerare et cogitare in primo praecepto quomodo illud servaverim, et in quo defecerim.* Non sufficit *considerare,* ne contentus sit exercitans quasi uno intuitu ac leviter obvia peccata recolere; multa enim peccata non occurrerent, quae etiam in confessione omitterentur. Sed et *cogitare* necesse est, ut nil excidat.

Quanto autem tempore examen illud durare debeat, non plane definit : pendet enim istud ab uniuscujusque conditione. Hanc ut plurimum regulam servandam ponit : *tenendo regulam sistendi* in unoquoque praecepto *per spatium quo quis recitat ter Pater et Ave Maria* (quae quidem non recitat) : *et si in hoc tempore invenio defectus meos, petere veniam et remissionem illorum, et dicere unum Pater noster : et hoc eodem modo fiat in quovis ex decem praeceptis.*

Notandum est, quando quis venerit ad cogitationem praecepti alicujus, in quo reperit non habere se ullum habitum peccandi, non est necesse ut tanto immoretur tempore; sed secundum quod quis reperit se plus, vel minus impingere contra illud mandatum, ita debet plus vel minus immorari in consideratione et scrutinio (addit hic S. P. *considerationi* et *cogitationi scrutinium,* quo etiam abscondita deteguntur) *illius praecepti : et hoc idem servetur in peccatis mortalibus,* scilicet capitalibus.

Post finitum discursum jam dictum super omnibus praeceptis, accusando me in illis (scilicet me humiliando : qui se accusat, ait S. Aug., Deus eum excusat) *et petendo gratiam et auxilium ad emendandum me in posterum, debet terminari colloquio ad Deum Dominum nostrum, juxta subjectam materiam.* Quae ultima sic interpretatur R. P. Roothaan :

« *Juxta subjectam materiam.* Intellige : pro » ratione qua me reperero habuisse me in ob- » servatione praeceptorum, v.g. *gratias agendo,* » ubi per Dei misericordiam ab alicujus prae- » cepti violatione praeservatum me fuisse in- » venero; *dolendo* de iis in quibus deliqui; » *petendo gratiam et auxilium* in futurum ad » servanda praesertim ea praecepta, quae » transgrediendi periculum majus imminere » mihi in mea praesertim conditione intelli- » gam; *excitando* me ad odium quam maxi- » mum hujusmodi peccatorum. »

Ut completa sit peccatorum et defectuum inquisitio, necesse plerumque erit ut Director exercitantem, antequam hic primum orandi modum adhibeat, circa materiam tum praeceptorum, tum peccatorum praesertim capitalium, accurate instruat. In missionibus quoque, nulla forte fructuosior instructio est ea, quae *examinis peccatorum* nomine appellatur.

Primus orandi modus circa peccata mortalia

Secundo, ait S. P., *super peccatis mortalibus,* quae sunt *superbia, avaritia, invidia, gula, luxuria, ira* et *accedia. Mortalia* vocantur a S. P., non quod ea omnia peccata gravia sint, sed quia fontes sunt omnium peccato-

rum, qui si exaruerint, simul homines mortaliter peccare cessabunt.

Circa septem peccata mortalia, ait S. P., *post additionem (supra dictam) fiat oratio praeparatoria, modo jam dicto, solum mutando, quod materia hic est de peccatis, quae evitanda sunt, et prius erat de praeceptis, quae sunt servanda; et similiter servetur ordo et regula jam dicta, et colloquium.*

Cum contraria contrariis curentur, notam sequentem subjicit : *Ad melius cognoscendas culpas commissas in peccatis mortalibus, considerentur eorum contraria, atque ad melius vitanda ea (peccata), proponat et curet ille (qui hunc modum orandi adhibet) sanctis exercitiis* (nam frustra virtutem acquisiturum se sperat, qui ejus actus negligit) *acquirere et possidere septem virtutes illis (peccatis) contrarias.*

Hic servanda est quoad tempus inpendendum *regula* quam in examine circa praecepta adhibendam esse diximus; idem servandus et *ordo,* qua voce plura exprimuntur : additio scilicet, oratio praeparatoria, examen, colloquium, sed non haec tantum. Sicut enim in oratione praeparatoria petita est praeceptorum intelligentia, et in ipsa orandi ratione praescriptum est considerare et scrutari praeceptum ipsum, ita hic mortifera vitiorum natura atque eorum pessimi effectus considera-

tioni et scrutinio proponuntur. Adde virtutum oppositarum considerationem, et facile senties quam late pateat hujus exercitii campus.

Primus orandi modus super potentiis animae

Circa tres potentias animae, ait S. P., *servetur idem ordo, et regula, quae in praeceptis, faciendo suam additionem, orationem praeparatoriam, et colloquium.*

Quae sint tres illae potentiae patet ex meditatione de triplici peccato. Ibi enim nominantur memoria, intellectus et voluntas. Ad memoriam pertinet phantasia, et appetitus sensitivus ad partem inferiorem voluntatis.

Memoria. Quemadmodum facultas haec, propter naturae corruptelam, ad revocanda ea prona est quae sensui et amori proprio jucunda atque etiam peccaminosa sunt, ita a spiritualibus sponte quasi refugit et ad ea, ut ait S. P., *trahenda* est. Ea hujus facultatis tum propensio, tum aversio, a malo Spiritu existi; bonus vero spiritus pro contrario fine contraria suadet. Multum tamen abest ut memoriae operationes omnes vel a bono vel a malo spiritu proveniant; multae a propria voluntate aut a proprio habitu proveniunt. Ideo

S. P., cum agit de examine generali, *cogitationes meas proprias, quae exsurgunt ex mea mera libertate et voluntate,* ab iis sedulo distinguit *quae adveniunt extrinsecus, sive a bono, sive a malo spiritu.* Exemplo sint ex una parte qui se in luxuria volutant, aut odio incenduntur; ex altera Sancti, qui in caelestibus cogitationibus indesinenter versantur; quae duo adeo inter se opposita ex contraria consuetudine per exercitium utique contracta proveniunt. *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de caelo, caelestis. Qualis terrenus, tales et terreni, et qualis caelestis, tales et caelestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis. Hoc autem dico, fratres : quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit.*

Memoria ergo ille peccat 1°, qui sensuales et impuras, aut quibus odium excitetur vel foveatur, aut ordinationibus Superiorum, immo ipsis Superioribus infensas quaerit ac nutrit cogitationes; 2°, qui vanis ac mundanis recordationibus occupatur; 3°, qui in oratione, aut in templo, profanis cogitationibus aut distractionibus locum dat, etc.

Gradus perfectionis in usu memoriae : 1. Abhorrere ab iis omnibus recordationibus quae ad peccandum mortaliter aut venialiter

inclinant. 2. Rejicere in oratione imagines rerum hujus mundi. 3. Cogitationes otiosas abscindere. 4. Recordari Dei praesentis, quantum fieri potest, semper. *Ambula coram me, et esto perfectus* (GEN. 17, 1). Ita S. Ignatius, S. Aloysius, et multi alii, etiam nunc viventes. Nulla alia vita dulcior; ii soli sentiunt quia suavis est Dominus, qui cum Apostolo dicere possunt : *quotidie morior* (1 COR. 15, 31) et : *Mortuus sum, et vita mea abscondita est cum Christo in Deo* (COL. 3, 3). Illis convenit istud : *Memor fui Dei et delectatus sum, et exercitatus sum : et defecit spiritus meus* (Ps. 76, 4).

Intellectus, si Deum potissimum spectamus, ad hoc homini datus est, ut Deum et ea quae ad Dei famulatum pertinent cognoscat, in iisque se occupet. Quaecumque a Deo revelata sunt et docet Ecclesia, homo credere tenetur; ea autem scire debet, quae ipsi sunt, ut serviat Deo, necessaria. Peccat 1°, si ea quae de necessitate medii aut praecepti sunt, sua culpa ignoret, si obligationes status aut officii minus bene noverit; 2°, si inconsiderate in agendo, si temere in proximo judicando procedat; 3°, si in judicio sit instabilis, et bene concepta proposita, propter tentationem, immutet; 4°, si sit, etiam cum doctis viris ac multo magis cum superioribus agens, in tuen-

do proprio judicio pertinax; 5°, si pro regula agendi teneat, non prudentiam Christi, sed prudentiam carnis. Hinc dissimulatio, modus agendi politicus, subdolae machinationes, fraudes, et alia vitia veritati et charitati contraria; 6°, si curiose indaget quae scire nec debet, nec potest : v. g. si scrutari velit Mysteria, quae revelavit quidem Deus, sed homini, in hac vita, voluit esse inscrutabilia, ac humili fide suscipienda; 7°, si propriam sententiam acriter, et nonnunquam cum contemptu aliorum, ac superbe defendat. Qui vir boni judicii est, facile dubitat et sibi ipsi non multum confidit; 8°, si scire multa intendat, sed ex vanitate.

Contra peccata illa omnia unicum ac efficax remedium est humilitas, quae, ut ait Th. Kemp., est *altissima et utilissima lectio,* scilicet *sui ipsius vera cognitio et despectio.* Cui lumina Deus infundit, nisi humili? Exemplo sit Auctor admirabilium horum Exercitiorum, cui, quia erat humillimus, litterarum plane ignaro tot ac tam caelestia secreta in specu manresano Deus revelavit.

Voluntas duabus partibus constat, quarum una superior vocatur, altera inferior. Hoc sensu aiebat S. Paulus : *Quod* NOLO *malum hoc ago... Condelector enim legi Dei secundum homi-*

nem interiorem (quae voluntas superior est; audi nunc de inferiore agentem) : *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quod hanc involuntariam partis inferioris rebellionem adversus legem Dei pateretur, ita tristabatur Paulus, ut praeoptaret mori. Hoc equidem dolere possumus; ne miremur tamen, neve putemus hanc naturae conditionem esse posse sine merito, modo libidini obnitamur et *secundum interiorem hominem condelectemur legi Dei*. In hoc enim totum constat christianum certamen, sine quo nemo coronabitur. Hinc *propria voluntas* vocatur, quae legem membrorum et corruptam naturam sequitur; voluntas autem, quae in omnibus divinae voluntati se accommodat, bona et recta et quasi divina est.

Ex propria illa voluntate omnia peccata enascuntur; dum e contra ex ejus consensione cum divina voluntate enascuntur omnia bona : pax et gaudium in Spiritu Sancto, fraterna unio, et immensa merita.

Primus orandi modus super quinque corporis sensibus

Circa quinque sensus corporis, ait S. P., *servabitur semper idem ordo, mutando materiam illorum. — Qui vult imitari in usu sensuum suorum Christum Dominum nostrum, commendet se in oratione praeparatoria suae divinae Majestati; et post consideratum unumquemque sensum, dicat unum* Ave Maria *vel unum* Pater noster; *et qui vellet imitari in usu sensuum Dominam nostram, in oratione praeparatoria se commendet illi, ut sibi obtineat gratiam a Filio suo ac Domino ad hoc ipsum : et post consideratum unumquemque sensum, dicat unum* Ave Maria.

Nota iterum hic summam S. P. erga Christum et Matrem ejus reverentiam : non *ei* dicit, sed *suae divinae Majestati;* vocat Virginem *Dominam nostram.* Sed quamtumvis eam revereatur et amet, servat bene ordinatam charitatem, tantumque abest ut Dominam Christi eam appellet, sicut eam appellat Dominam nostram, ut eam mere mediatricem apud Jesum faciat. Mediationis autem ejus efficaciam et vim ex duplici titulo eruit : *a Filio suo ac Domino; a Filio suo,* a quo ardentissime diligitur et cujus mater est; *ac Domino,* qui

omnia potest, et benedictae Matri suae nihil denegabit unquam.

In expositione Fundamenti Exercitiorum vidimus peccatorum causam ab abusu creaturarum esse repetendam. Jam vero creaturae per sensus animum sollicitant; ex quo satis apparet quanti intersit portas illas sensuum accuratissime custodire. Inde auctorum spiritualium in hac re admonitiones; inde praesertim fundatorum ordinum religiosorum in regulis modestiae statuendis cura ac vigilantia. Inter eas eminent regulae modestiae a S. Ignatio tot cum lacrymis conscriptae, ac reg. 29 Summarii.

Visus. *Ascendit mors per fenestras* (Jer. 9, 21). — *Oculus meus depraedatus est animam meam* (Tr. 3, 51). Sic corruere Eva, David et alii innumeri. Si quis voluntarie et ex proposito res periculosas aspicit, in eo Spiritus Sancti complebitur oraculum : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Ideo S. P. suis enixe commendat ut oculos demissos, ut plurimum, teneant, nec immoderate eos elevando, nec in hanc aut illam partem circumflectendo. Quam accurate, etiam antequam societatem nostram ingrederetur, servaverit Aloysius regulam illam, ejus vita novimus omnes. Per quadraginta annos, quibus nostri collegii janitor fuit

S. noster Alphonsus, nullius advenientis feminae vultum respexit; cumque semel (semel tantum) indeliberate unam aspexisset, tantum inde dolorem concepit, ut saevissimas sibi ipsi imposuerit poenas.

Duo praesertim in aspectu caveas : 1° Ne oculos haerentes detineas in re periculosa, unde profundae commotiones, et impressae memoriae species saepissime redituraе. S. Alphonsus dicere solebat daemonem, dum loquimur cum femina, ita parum tentare, ut nobis ipsis videamur sine periculo posse eam aspicere; sed postea speciem illam repetitis vicibus ita imaginationi objicere, simulque cor et sensus ita commovere, ut animum jam non leviter perturbet, aut forte etiam inquinet. Hic igitur iterum : *Beatus homo qui semper est pavidus!* 2° Ne inconsiderate oculos circumferas undequaque, in viis praesertim, ubi multa sunt quae tentationibus dabunt occasionem.

Auditus. Si infernali serpenti Eva aures non praebuisset, neque Evae Adamus, perditum non fuisset genus humanum; si imprudentes consiliarios non accersivisset Roboam, decem ex tribubus Israel non amisisset. Qui impiorum aut impudicorum, aut insipientium consortia captat, impius et ipse fiet, aut impudicus, aut insipiens. Inde proverbium :

dic mihi quibuscum verseris, et quis tu sis ipse dicam. Idem pressius Spiritus Sanctus enuntiavit : *Nolite seduci : corrumpunt mores bonos colloquia mala* (1. Cor. 18, 33).

Odoratus. Odoratu posse, et quidem graviter, peccari, ex poenis huic sensui in inferno inflictis probatur : *Missus est in stagnum ignis et sulphuris* (Apoc. 20, 9). Et post damnatorum resurrectionem, dicitur apud Isaiam : *De cadaveribus eorum ascendet foetor* (34, 3).

Recolatur hic heroicum S. nostri Claver exemplum, qui plures horas quotidie, ut Nigritis subveniret, putidissimum odorem alacriter tolerabat : quam sui victoriam etiam in hac vita Deus miraculis haud semel remuneratus est.

Defectus in hac materia ex mollitie oriuntur et ejus sunt indicia. Quam autem mollities damnosa sit et Deo odiosa, intellige ex proph. Amos. c. 6. : *Vae qui opulenti estis in Sion... qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris... bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti... Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium : et auferetur factio lascivientium. Juravit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum.*

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis. Si spi-

ritu vivimus, spiritu et ambulemus (GAL. 5, 24, SQ.).

Gustus et loquela. De gustu quae dici possunt, ad peccatum gulae referuntur.

Fuse de lingua tractat S. Jacobus c. 3. : *Si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir ; potest etiam freno circumducere totum corpus... Lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis magnam silvam incendit ! Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostrae* INFLAMMATA A GEHENNA. *Omnis enim natura bestiarum et volucrum, et serpentium, et ceterorum domantur, et domita sunt a natura humana : linguam autem nullus hominum domare potest ; inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem : et in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, haec ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam ?*

Multimodis peccatur lingua : male recitando preces, blasphemando, imprecando, inique aut vane aut contra veritatem jurando, mala consilia dando, injurias proferendo, turpia dicendo, dicendo vana, mentiendo, detrahen-

do, calumniando, contraria Ecclesiae aut ejus mandatis eloquendo, verbis pungendo proximum, sacra irridendo, effutiendo verba otiosa etc.

Ergo *sepi aures tuas spinis, et linguam noli audire : et ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem* (Eccli. 28, 28).

Juxta ep. S. Jacobi (1, 19) *sis velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. In multiloquio* enim *non deerit peccatum* (Prov. 10, 19). Quod in conviviis maxime est attendendum.

Tactus ex omnibus sensibus est fortasse periculosissimus. Tactus omnis ex appetitu luxuriae, sive per oscula sive alio modo, est peccatum mortale. A sensualibus ad impudica transitus est facillimus. *Bonum est homini mulierem non tangere* (1. Cor. 7, 1).

Ut nos a tantis hujus sensus periculis immunes servaret S. P., voluit ut neminem etiam joco tangeremus.

Secundus orandi modus

Fit contemplando significationem singularum vocum orationis illius circa quam hic modus orandi exercetur.

Contemplando, quae vox huic, non tertio orandi modo, applicatur. Hic enim homo mentem seu ad Deum, seu ad Christum, seu ad B. Virginem elevans, eos vere contemplatur, et cum eis per tranquillam meditationem amantissimum colloquium habet; quae tertio modo, utpote velociori, non videntur convenire.

Hinc patet non communem, sed altiorem esse hunc meditandi seu potius contemplandi modum, provectioribus etiam omnino accommodatum. In eo tantum a ceteris contemplationibus differt, quod hic tota res in colloquio versetur, cujus materia a Spiritu Sancto ipso, vel ab Ecclesia a Spiritu Sancto adjuta subministratur. Preces enim omnes quas S. P. suggerit, aliaeque quas innuit in hoc genere continentur.

Quanta vero in secundo praesertim orandi modo adsit utilitas ad divinum Officium recitandum, ad pie celebrandum SS. Missae Sacrificium, ad pie christianas preces matutinas et vespertinas fundendas, quis non sentiat? Quam pie, v. g., sacerdos Missam celebraret, si saepius ac successive preces omnes *Ordinarii Missae* ita meditaretur! Quam pie, modo hunc, modo illum Psalmum assumens, Breviarium recitaret! Multi conqueruntur quod sibi meditatio non procedat, et ne cogitant quidem

de hoc eminente ac faciliori contemplationis modo, quem eis hic praebet S. P.

Singularum vocum orationis; scil. vocum, quae veram significationem secum afferunt : sane v. g. non intellexit S. P. contemplationem circa voculam *et,* aut *qui,* aut alias similes esse instituendam. *Intelligenti pauca.*

Expositio hujus orandi modi facta a S. P. N., si praesertim notae a R. P. Roothaan aptissime subjectae legantur, ita plana est, ut nullo indigeat commentario.

Tertius orandi modus

Erit per (sive ad) mensuram, (sive in numerum ad modum rhythmi).

Et circa hunc modum vix est aliquid, explicationis gratia, superaddendum. Hic neque meditatio fit proprie dicta, quae facultatum animae exercitium continet, neque contemplatio, quae quiete sistit se coram Deo ; sed pausa tantum, ut aliquatenus noris et sentias quid in oratione dicas. Patet non aliud hic intendisse S. Patrem quam ut reverenter ac pie vocales orationes recitarentur, non vero sicut pueri solent in scolis lectiones recitare, quas memoriae mandaverunt. Quam multi Christiani, immo quandoque et sacerdotes et religiosi, more puerorum, rosarium, litanias, et

nonnumquam ipsas S. Liturgiae preces, cum suo et aliorum detrimento recitant, qui multo aliter orarent, si hunc tertium orandi modum adhiberent! Quantum, v. g., ad pie recitandum officium divinum juvaremur, si prima orationum verba et primum cujusque Psalmi versum, atque in fine *Gloria Patri* juxta tertium orandi modum diceremus!

Attente considerentur sequentia, in quibus varia puncta indicantur quae in hoc orandi genere ob oculos mentis habere possumus: *Attendatur praecipue ad significationem talis vocis, vel ad personam ad quam oratio dirigitur, vel ad vilitatem sui ipsius, vel ad differentiam inter tantam altitudinem (illius personae), et tantam vilitatem propriam.* Ad quatuor nempe attendi potest: 1. *Ad significationem talis vocis:* non quidem considerate et lente ut in secundo modo, sed breviter, ita ut advertatur vocis sensui cum aliquo affectu. 2. *Ad personam ad quam oratio dirigitur,* quasi persona illa praesens adesset, et cum ipsa loqueremur. Unde enim multis oratio fastidiosa fit, nisi ex eo quod soli et quasi in aere preces recitent, cum oratio vere sit mutua praesentem inter Deum et hominem communicatio? 3. *Ad vilitatem sui ipsius;* non ad personam quam alloquitur orans convertatur, sed ad se, ut se deprimat atque humiliet:

qui modus erat S. Ignatio prae ceteris familiaris et est ad impetrandum efficacissimus. *Oratio humiliantis se nubes penetrat* (Eccli, 35, 21). *Desiderium pauperum exaudixit Dominus* (Ps. 10, 17). *Humiliare Deo, et exspecta manus ejus* (Eccli, 13, 9). *Humiliamini in conspectu Dei, et exaltabit vos* (Jac. 4, 10). Exemplo sit publicamus. 4. *Ad differentiam inter tantam altitudinem illius personae et tantam vilitatem propriam.*

Regulae discretionis Spirituum

ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo varias motiones quae in anima excitantur : bonas, ut suscipiantur, malas, ut rejiciantur. Suntque magis propriae pro prima hebdomada.

Humillime hic et simplicissime, pro more suo, at cum mira peritia res altissimas et plerumque magnis difficultatibus plenas explanat S. Pater. Doctorem non agit, sed propria experientia et caelesti lumine ductus, res tractat doctissime et apertissime : vel potius tractatum non edit, sed regulas proponit. Regulae autem illae sine ullo doctrinae apparatu propositae tales sunt, ut, sive ordinariam, sive extraordinariam viam spectes, omnia fere, saltem in germine aut semine contineant, quae in celeberrimis de discretione spirituum tractatibus conscripta sunt. Hinc, modo bene intelligantur, ad animas quascumque dirigendas vix non omnino sufficiunt.

Plerumque auctores, qui hanc materiam tractarunt, de discernendis spiritibus in aliis ad directionem animarum egere. Sanctus autem noster directe ipsum exercitantem respicit, eumque, ut in seipso diversorum spirituum motiones discernere possit, adjuvat. Indirecte autem et scopum ab auctoribus in-

tentum assequitur; multo enim melius propria experientia quam conscriptis libris ad directionem animarum instruimur. Sic quippe S. Ignatius ipse fuit edoctus, sed et multo magis per internam et admirabilem Spiritus Sancti illustrationem. Mediante namque hac illustratione, quae semper simplex et clara est, res quae apud auctores obscure et aenigmatice saepius proponuntur, hic quasi sponte et sine ambagibus se offerunt. De rebus ergo difficillimis hic agitur, quae peritissimis etiam auctoribus, nec immerito, terrorem quemdam injiciunt.

Sic hunc tractatum ingressurus ait Card. Bona : « Opus enim agressus sum difficile, » multa obsitum caligine, casuum varietate » perplexum, et quibusdam quasi cavernosis » anfractibus impeditum, quod omnem quae- » rentis diligentiam occurrentibus saepe invo- » lubilibus nodis ita eludit, ut modo elabatur » e manibus quod inventum est, modo rursus » appareat, et iterum absorbeatur. Haec ni- » mirum sapientia est omnium hominum in- » telligentiam excedens, quantumvis doctis- » simi sint et in spirituali palaestra longo » certamine probati. *Abscondita est ab oculis* » *omnium viventium, volucres quoque caeli latet.* » Solus *Deus intelligit viam ejus, et ipse novit*

» *locum illius* (Job. 28, 21). Vita enim spiri-
» tualis plena latibulis est, diversae enim et
» admirabiles sunt Dei vocationes : nec po-
» test homo discernere sine lumine superna-
» turali in eo infuso, qui veritas est, an quis
» ambulet in spiritu veritatis. Et si nemo
» novit quae Dei sunt, nisi Spiritus ipsius
» Dei, ut docet Apostolus, quis hominum po-
» terit divinum instinctum cognoscere, ejus-
» que vocem percipere loquentis in silentio
» ad cor Jerusalem? Quis etiam valeat humani
» cordis secreta penetrare, ad quae nulli adi-
» tus patet, nisi soli Creatori? *Ego Dominus*
» *scrutans cor, et probans renes* (Jer. 17, 10). Dia-
» boli vero multiplices fraudes, innumeras
» nocendi artes, ac pene inextricabiles la-
» queos, quis detegere, quis evitare queat? »

Ex quibus conclude non solum imprudenter agere, sed peccare confessarium aut animarum rectorem, qui, cum in rebus spiritalibus versatus non sit, directionem tamen animarum retinet, quas sine gravi earum detrimento regere nequit. De incapacibus illis pastoribus ait S. Joannes a Cruce : « Patres
» spirituales, qui communem quidem oratio-
» nem norunt, sed de sublimioribus orandi
» modis, v. g. de contemplatione quietis, nihil
» unquam vel audierunt vel experti sunt, exis-

» timant animas quae ad haec vocantur, pi-
» gritiae indulgere ac tempus amittere; eas
» igitur ad ratiocinationes, ad actus elicitos,
» quamvis in his repugnantiam, taedium, de-
» solationem, ariditatem experiantur, cogunt
» et impellunt, ipsius Dei Spiritui contradi-
» centes animasque torquentes et retardantes.
» Nec tales directores in sua ignorantia excu-
» sationem apud Deum invenient. Si imperiti
» sunt, cur animas illas ad peritos duces non
» remittunt? Cur, si tales animae alium pa-
» trem spiritualem consulant, eis indignantur,
» suam zelotypiam, superbiam, praesumptio-
» nem sequentes, gloriam autem Dei et bonum
» animarum contemnentes? *Vae pastoribus Is-*
» *rael, qui pascebant semetipsos! Nonne greges a*
» *pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis*
» *operiebamini?* (Ezech. 23, 2 sq.) *Ecce ego*
» *ipse super pastores requiram gregem meum de*
» *manu eorum* (Ib. 10). »

Quantum ex indoctis et imperitis ducibus passa sit S. Teresia, et quomodo apud solos sanctos religiosos, S. Petrum de Alcantara franciscanum, Banes dominicanum et Alvarez de Soc. Jesu, lumen et pacem invenerit, nemo ignorat.

Quinam autem spiritus illi sunt quos oportet discernere? S. Bernardus sex spiritus

enumerat. *Primus* divinus est : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (Ps. 84). *Secundus* Angelicus : *Angelus qui loquebatur in me* (ZACH. 1, 11). *Tertius* diabolicus : scil. *immissiones per angelos malos*. *Quartus* carnis : *spiritu carnis suae inflatos* (COL. 2, 18). *Quintus* mundanus. *Sextus* humanus, de quo dicit Paulus (1. ad Cor. 2, 11) : *Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso?* Tres ex iis mali et falsi sunt : diabolicus, carnalis et mundanus; duo boni sunt : divinus et angelicus; humanus autem, qui et bono et malo potest inhaerere, medius est et indifferens quamdiu neutri servit. Unde ait Hugo in Miscellaneis : « Spiritus Dei et spiritus dia- » boli immobiles sunt, alter in bono, alter » in malo. Spiritus hominis nunc huc, nunc » illuc flectitur. »

Cum autem ex una parte Angelus non loquatur ex seipso, et ex altera, caro et mundus veri sint diaboli satellites et instrumenta, quinque priores spiritus ad duos revocari possunt, divinum scilicet et diabolicum. Spiritus autem humani, postquam motionem accepit a bono aut a malo spiritu, tota actio in eo consistit, ut dignoscat malas a bonis motionibus, et intelligat quid sibi sit in utrisque agendum. Quomodo autem sese regere extra

motiones debeat, id ad discretionem spirituum proprie dictam non spectat, sed ad regulam moralem quam ex ratione naturali, ex revelatione, ex doctrina atque exemplis Christi, in ipsismet hisce Exercitiis abundantissime hausit exercitans. Igitur in hoc tractatu de duplici tantum spiritu agitur, de divino nimirum et diabolico, utroque, ut ait Hugo, immobili sive in bono sive in malo.

De spiritu bono vel malo et de spiritu humano egit S. P. in examine generali, in quo de solis peccatis quaestio occurrebat : *Praesuppono esse tres cogitationes in me, scilicet unam meam propriam, quae exsurgit ex mea mera libertate et voluntate* (en spiritus humanus, de quo hic et in toto Exercitiorum decursu erat dicendi locus, cum ex eo tota actuum moralitas dependeat) : *et alias duas, quae adveniunt extrinsecus* (et materia sunt discretionis spirituum), *alteram quae venit a bono spiritu, alteram quae a malo*. In reliquo autem examine, cum de peccatis tantum agatur, omisso bono spiritu, mali tantum meminit.

Sicut in vita spirituali duplex via est, ordinaria altera, altera extraordinaria, ita et de discretione spirituum dicendum est.

1. Discretio extraordinaria a Spiritu Sancto supernaturaliter infunditur, estque prophetica

vel non. Discretionem propheticam, sicut et prophetiam ipsam, ordinari ait S. Thomas (1, 2, q. 3, a. 4) ad confirmandam fidei doctrinam. In hoc differunt discretio prophetica et prophetia, quod haec obscura sit, illa autem clara; in hoc vero conveniunt, quod utraque sola supernaturali Spiritus Sancti infusione haberi possit; nam solus Deus et futura contingentia et occulta cordium nosse potest.

Discretio non prophetica, sed extraordinaria donum Spiritus Sancti illud est, quod S. Paulus (1 Cor. 12, 10) septimo loco enuntiat a prophetia distinctum : *alii discretio spirituum;* illa scilicet supernaturalis menti infusa illustratio, qua perfusus homo facile et sine errore dijudicat a quo principio, bono vel malo, tum proprii, tum alieni motus et cogitationes ad agendum pertinentes oriantur. Etsi gratia haec mere gratis data, scilicet ad bonum aliorum, esse possit, censent tamen omnes non concedi eam nisi mundis corde, atque iis maxime, ut ait S. Laur. Justin., qui sunt corde humiles ac tentationibus variis diutissime probati. *Qui non est tentatus,* ait Sapiens, *quid scit?* (Eccli. 34, 9) et : *vir in multis expertus cogitabit multa.* Sapientia illa internam pacem requirit, quae in animo vitiis

obnoxio ac terrenis affectionibus perturbato non invenitur.

Istis de extraordinaria discretione dictis, quae paucissimorum est, ad ordinariam accedamus, quam solam exponit hic S. Ignatius.

2. Discretio ordinaria, quae ars quaedam est et scientia, multimode comparatur : nimirum per examen motionum in suis principiis et effectibus, per regulas quae a Spiritu Sancto in sacris Scripturis praescriptae sunt, per regulas quae Sancti Patres a Deo inspirati aliique experientia instructi doctores tradidere, ac per propriam experientiam. De hac praeclare disserens Card. Bona : « Moneo » tamen, ait, ne quis facile sibi persuadeat se » ex istis instructionibus posse certum et irre- » fragabile judicium ferre, nisi accedat expe- » rientia, quae omnino necessaria est ad varias » motiones Deique diversas operationes in ani- » ma percipiendas. Nam ut scribit Richardus, » libro de praeparatione animi ad contem- » plationem, *multa quidem de discretione legendo,* » *multa discimus audiendo, multa ex insito nobis* » *rationis judicio : verumtamen nunquam de hac* » *re ad plenum erudimur sine experientiae magis-* » *terio.* Debet quoque discretor in simplicitate » cordis, et in spiritu humilitatis Deum solum » respicere, ipsi soli inniti, et ab eo lumen

» petere; quia, sicut ait Seraphica Virgo Te-
» resia, *parum ex libris discimus, nisi Deus intus*
» *doceat.* »

Si ista igitur adfuerint, poterit quidem ille cui discernendi sunt spiritus moralem habere certitudinem, et tuto procedet. Judicium autem ejus nunquam erit irrefragabile extra casum divinae revelationis; ideoque semper cum formidine quadam ferat judicium, ubi praesertim circa alios erit discernendum, et serventur regulae a Card. Bona sapienter positae : 1. Cum omnis sapientia a Deo sit, divinam Spiritus sapientiae et intellectus illuminationem imploret. 2. Sanctae Scripturae sententiis et Ecclesiae definitionibus omnia reddat consentanea. 3. Ex proprio corde corda aliorum cognoscat. 4. Virtutes, sine quibus discretio illa nequit existere, generose exerceat; nemo enim melius internas aliorum motiones malas introspicit, quam qui eas in se recognovit. 5. Respiciat in omnibus Christum et spiritum ejus. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (Jo. 3, 2). Ipse enim *via, veritas* et *vita* est. 6. Proprio suo judicio ne confidat, in rebus praesertim suis, et humiliter prudentes ac sanctos viros consulat. 7. Pravos affectus omnes habeat edomitos, neque se, sed solum Deum intendat. 8. Cum simplici-

tate, ex sola aeternitatis regula procedat. *Nihil pejus,* ait Chrysostomus, *quam humanis rationibus spiritualia subjicere* (Hom. 24 in Jo.). Dixit autem Absolom abbas : *Non regnat spiritus Christi, ubi dominatur spiritus Aristotelis.* Res enim spirituales alterius et quidem superioris ordinis sunt, qui, licet rationi consentiat et ratione innitatur, ad divina assurgit. 9. Attendat qualis sit persona, quae sit virtus ejus, puritas, humilitas, obedientia, charitas, patientia, quae imaginatio, quis sensus, quae corporis natura. Si virtutes illae in ea desint, signum est ad supernaturalem statum a Spiritu Sancto eam non vocari. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere* (Matt. 7.).

De quibus ait Gerson : « Fallit unum sig-» num vel pauca, si non in unum plura con-» globaveris. »

De signis illis principia quaedam regulis de discretione applicanda submittimus. Et *primo* quidem, si ad id quod sanctum, quod perfectum est, praesertim ad humiliationem, ad abnegationem excitamur, spiritu illo movemur de quo in Ps. 142 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Si vero movemur ad saeculi pompas et vanitatem, ad illecebras

carnis, ad minus perfectum et ad inutilia desideria, tunc certo dicendum : *Vade retro, Satana. Secundo,* si quis in seipso mirabile quidquam et praeter consuetum ordinem experitur, non ideo pro certo habeat venire illud a Deo, sed potius timeat, indignum se donis Dei aestimans, ne decipiatur, totumque rectori animae suae revelet : tunc praesertim formidet, si quam inde complacentiam in se concipiat. *Tertio,* signum boni spiritus est, si anima per divinas visitationes ad poenitentiam et magnam de peccatis suis contritionem moveatur. *Quarto :* diaboli proprium est suggerere quod malum est, quod minus bonum est, quod virtuti adversatur, quod exemplo et doctrinae Christi contrarium aut minus consonum est.

Satanam capitalem esse humanae naturae hostem saepe repetit S. P. N.; idem Spiritus Sanctus per os S. Petri non solum asseruit, sed oculis terrifica imagine descripsit : *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.* Cum autem, quantumcumque sit ejus odium, quantacumque nocendi rabies, humanam voluntatem cogere ad malum non possit; cumque natura sua angelica sit omni homine multo astutior, nil non movet astutiarum ut amici speciem induens, homini persuadeat bonum esse quod ma-

lum est, et malum quod bonum est. Igitur in hoc maxime versantur regulae discretionis spirituum, ut astutiae ejus patefiant, et media suggerantur quibus a tantis ac tam periculosis fraudibus immunes servemur. S. Petrus ait : *Cui resistite fortes in fide;* et : *sobrii estote et vigilate.* Christus vero : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*

His positis ad S. Ignatium, eximium discretionis spirituum doctorem, veniamus.

Regulae, ait, ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo varias motiones quae in anima excitantur.

Ad sentiendum : primum est *sentire,* secundum, *cognoscere.* Cum pulsat quis ad januam, primum est pulsum audire; dein cognoscere de visu num qui pulsavit amicus sit, an fur et inimicus. Sic multi in rebus spiritualibus surdi sunt nec impulsum animae externum advertunt : vitiorum nempe impetu, vel animi dissipatione volvuntur.

Et cognoscendum. Cognitio haec, sicut in omni arte ac scientia, multos gradus habet : et ibi tirones, proficientes et magistri inveniuntur. Qui per multas cognitiones adeptus est experientiam et per orationem ac virtutum exercitationem caelestia in se lumina convertit, is tandem artem discernendi spiritus callet et magister efficitur.

Aliquo modo : non enim omnem modum docere intendit S. P., nec completum tractatum componere, sed praecipuas regulas proponere, quibus subtiliores superaddet pro secunda hebdomada et sequentibus.

Varias motiones : non enim de simplicibus cogitationibus agitur, sed de sensibilibus agitationibus et de omni impulsu vel boni vel mali spiritus, ut homo in unam aut alteram partem deduci se sinat. *Variae* autem sunt, et omnis generis innumerae motiones in anima fiunt : inde discretionis hujus difficultas.

Bonas, ut suscipiantur; malas, ut rejiciantur. Non omnes ita theologice instruuntur, ut intrinsecam motionum bonitatem aut malitiam detegere possint; immo neque omnes theologiae doctores in scientia mystica, sive theoretice sive practice, ita sunt versati, ut malitiam illam bonitatemve valeant discernere. Hoc praestant regulae discretionis, quae veluti extrinseca signa et criteria sunt, quibus a priori, etiam ubi rei bonitas vel malitia in se et intime non perspicitur, anima certo sciat a quo spiritu moveatur. Criteria autem illa, ex scriptis virorum sanctorum deprompta, talia sunt, ut qui illis usus erit, certo non erret. Ubi igitur aliquis haec signa in motibus suis detexerit, illico, quin rem in se examinet, con-

cludet vel suscipiendas has motiones vel rejiciendas, prout ex signis eas intellexerit vel bonas esse vel malas. In hoc enim criteriorum illorum vis sita est, quod absque propria rerum disquisitione, earum vel bonitas vel malitia per illa certo innotescat.

Prima regula

Regula haec et sequentes omnes quibusdam generalibus principiis innituntur. Et 1° quidem, spiritus bonus et spiritus malus sua natura in omnibus sunt invicem oppositi : unus ad bonum semper impellit; alter semper ad malum, aut, si non potest, ad minus bonum. 2° Uterque animae vel obsecundat, vel obsistit, prout illa secum conspirat, aut sibi adversatur. 3° Spiritus bonus naturae ingrata plerumque inspirat; ad grata autem malus semper inclinat. 4° Cum voluntas sponte bonum quaerat neque possit appetere id quod non sibi saltem appareat ut bonum, spiritus malus, qui et angelus est et mendacii pater, nulli fraudi, nulli versutiae, nullis insidiis parcit, ut animam decipiat, eique persuadeat bonum esse id quod et in se et ipsi animae malum est. Itaque bonus spiritus amorem Dei, qui summum hominis bonum est, amori

proprio, malus contra amori Dei substituit amorem proprium, qui et perfectioni perniciosissimus est et auctor omnis perditionis.

Quae principia in prima jam regula locum habebunt.

Prima regula : in illis qui eunt (ruunt) a peccato mortali in peccatum mortale, solet communiter inimicus proponore eis delicias apparentes, efficiendo ut imaginentur delectationes et voluptates sensuales, quo magis illos conservet et adaugeat in suis vitiis et peccatis.

Status quaestionis, qualem ponit S. P., accuratissime est notandus; de iis solis enim hic agitur qui *eunt,* seu *ruunt* a peccato mortali in peccatum mortale, non qualecumque, sed praecipue sensualitatis et luxuriae; quod ex subjiciendis modo diabolicis suggestionibus omnino est manifestum : *efficiendo ut imaginentur delectationes et voluptates sensuales.*

Cur autem de solo peccato carnis hic meminit, cum alia peccata sint multo graviora, ut impietas, incredulitas, blasphemia, homicidium, etc.? 1. Quia peccata carnis sunt omnium communissima, atque per ea reprobi fere omnes aeternam damnationem incurrunt. S. Bernardus existimat ex centum qui damnantur, nonaginta novem propter luxuriam damnari; sanctus vero Alphonsus in senten-

tiam eorum inclinat, qui censent nullum esse damnatum qui non fuerit impudicus. 2. Quia in luxuriae peccatis ea frequentia, de qua S. P., inveniri solet. Nemo enim continenter blasphemias et impietates evomit, nemo homicidia, actus odii, gravem injustitiam perpetuo committit. Impudicitia vero tanquam ignis est, qui nunquam dicit : satis est. Quot enim luxuriosi existunt qui sine ulla fere intermissione cogitant aguntve malum, ita ut catenae vix unquam interruptae peccata eorum sint similia! Hinc vafer ille ac vilissimus daemon, qui tentator in hac materia est, *Asmodacus* vocatur, scilicet multitudo peccatorum. 3. Quia a peccatis carnis facilis fit transitus ad alia omnia, ad incredulitatem praesertim, ad impietatem, ad homicidium, ad contemptum legum Ecclesiae, immo, quod primo aspectu, propter istius vitii vilitatem, vix fieri posse videtur, ad superbiam.

In illis igitur *qui eunt de peccato mortali* luxuriae ad *peccatum mortale* ejusdem naturae, *solet communiter inimicus proponere eis delicias apparentes.*

Delicias apparentes. Deliciae verae illae dicendae sunt, quae non initio tantum, sed semper delectationem ex se ipsis afferunt nullo dolore mixtam. Hoc nomen divinae consola-

tiones merentur, quae ubi gustantur suavissimae sunt, suique sitim tanto magis accendunt quanto magis abundant; perfectae autem sunt in beatis caelorum incolis, qui in aeternum inebriabuntur ab ubertate domus Dei, et torrente divinae et ineffabilis voluptatis potabuntur. Deliciae vero luxuriosae aliquanto quidem tempore placent, sed mox fastidium creant, animum excruciant et saepius hominem in barathrum tristitiae, irae ac desperationis devolvunt. Quid reipsa in se sunt, nisi paululum mellis in quo venenum absconditum est dirissimum? *Gustavi paululum mellis, et ecce morior*. Hinc bene ait P. Roothaan : « Nonnisi *apparentes* delicias proponere po» test ipse miserrimus; et *inimicus* cum sit, » odio flagrans in humanam naturam, non » vult nec potest velle, nisi quo noceat animae » vel corpori, vel utrique; quod si quid de» lectabile objiciat, bonum illud apparens est, » vanum, fucatum, fallax, et certo certius ad » malum animae inferendum donum illud » qualecumque dirigitur. »

Quomodo autem inimicus delicias apparentes proponit atque earum desiderium inflammat? *Efficiendo ut imaginentur delectationes et voluptates sensuales;* hanc enim habet angelica natura potestatem, ut humores, sensus et

imaginationem moveat, idque nonnunquam modo insolito et fere incredibili. Novit enim diabolus ad cupiditatem excitandam plus valere rei imaginem quam rem ipsam, quia in his imaginibus animus, omni defectu rerum omisso, earum illecebras solum attendit sibique effingendo auget. Hinc refrenandae et cohibendae imaginationis necessitas.

Inimicus autem quid vult his malis artibus? Respondet S. P. : *quo magis illos (peccatores) conservet et adaugeat in suis vitiis et peccatis.* Cum enim diabolus, pro suo insatiabili adversus hominem odio, non tantum certam ejus damnationem velit, sed et crudelissima tormenta ei exoptet, vires omnes exerit, primo ut eum multiplicatis catenis vinctum *conservet,* secundo ut *augendo* semper ejus peccata, certiorem faciat ejus damnationem. Hanc servitutem senserat S. Augustinus eamque (Lib. 8. Conf. c. 5) ita describit : « Cui rei (vacare » Deo) ego suspirabam ligatus, non ferro alie» no, sed mea ferrea voluntate. Velle meum » tenebat inimicus, et inde mihi catenam fe» cerat, et constrinxerat me. Quippe ex vo» luntate perversa, facta est libido. Et dum » servitur libidini, facta est consuetudo. Et » dum consuetudini non resistitur, facta est » necessitas. Quibus quasi ansulis sibimet in-

» nexis, unde catenam appellavi, tenebat me
» obstrictum dura servitus. »

Quae in hac regula dicta sunt de iis qui eunt a peccato mortali ad peccatum mortale, cum discretione dici pariter possunt de iis qui tepide viventes eunt a peccato veniali ad peccatum veniale, donec tandem magis magisque adaucta debilitate ad mortalia descendant. Non paucae hic applicationes, tum fidelibus, tum sacerdotibus, tum religiosis utilissime fieri poterunt.

Hic subjicimus quae luculenter, pro more suo, circa modum quo diabolus ad teporem inducit, conscripsit P. Gagliardi Societatis nostrae : « Tepidus religiosus is est qui diffi-
» cultate quam sentit in virtutibus deterritus,
» et tentationibus cedens, transacto primo
» spiritus fervore, deliberate constituit vitam
» agere commodam et liberam, externa qua-
» dam specie morum et politica contentus;
» abhorrens ab omni progressu in virtutibus
» et a vera perfectione spiritus, mille etiam
» defectibus gravibus est irretitus. Hic, cum
» similis sit malo spiritui, ab eo fovetur; ideo
» solet daemon huic procurare, ut sentiat
» magnam animi quietem ac satisfactionem
» in suo modo vivendi; utque animo elatus et
» superbus, existimet se et scire multa ac in-

» telligere de virtute, aliorumque consilia ac
» monita spernendo, statum in quo est opti-
» mum esse, non egere se labore et progressu ;
» cumque nihil faciat, in vanisque atque inu-
» tilibus occupetur, se tamen strenue putet
» laborare, alios condemnando liberrime. Pro-
» curat etiam ut interim et semper magis sit
» deditus commodis suis, nutriat iram, con-
» cupiscentias aliasque passiones; fruatur
» apparenti quadam et falsa animi quiete,
» praesertim quia non sentit tentationes aut
» agitationes multas. Nec mirum, cum dae-
» moni in plurimis cedat et consentiat; qui
» hac fallacia detinet illum tenacius in suis
» defectibus, desinitque tentare circa alia gra-
» viora, et quae aperte sint peccata mortalia,
» ut persuasum habeat et jactet se bonum
» esse, et propterea ab omni tentatione immu-
» nem : et ita securius fruatur libertate illa
» sua vivendi, amoremque proprium et pas-
» siones semper vehementiores efficiat. Hinc
» crescit in dies taedium et fastidium rerum
» spiritualium, et omnium mediorum quae
» secundum suum institutum promovent ani-
» mam ad perfectionem, sensimque ac paula-
» tim ruit in praecipitium extremae ruinae et
» malorum. »

Sequentem quoque notam sapienter habet

circa animas ferventes : « Spiritus bonus si » aliquando terrorem inducit, terminat sem- » per in suavitatem. Tum virtutem reddit ali- » quando arduam, ut tentet aut probet nos; » ast post haec facilitat omnia. Non raro im- » becillitatem et molestiam inducit, ut abstra- » hat animum ab amore proprio et fiducia in » rebus creatis, ut a solo Deo pendeat; et » cum hoc fecerit, convertit omnia in magnam » quietem ac consolationem. »

Jam dicendum de modo quo Spiritus *bonus* eos tractat qui eunt a peccato mortali in peccatum mortale. *In quibus,* ait S. P., bonus spiritus utitur modo contrario, pungendo illos, et *remordendo illis conscientias per synderesim rationis*. Quare *contrario modo?* Quia sunt ei contrarii. *Pungit illos* omnigenis aculeis, ut suarum voluptatum pertaesi sese avertant a via quae ducit ad interitum, et felle sentiant esse plenum calicem quo libere modo delectabantur. *Remordet illis conscientias per synderesim rationis :* pungendo eos ad rationem revocat et conscientiam; inde remorsus, quibus suam ignominiam, perturbationem, miseriam agnoscunt, ac formidine mortis, judicii et inferni die ac nocte excruciantur. Hic totus confessionum S. Augustini liber esset legendus. Deum alloquens : « Non longe a nobis est,

» inquit, omnipotentia tua, etiam cum longe » sumus a te : aut certe sonitum nubium tua- » rum vigilantius adverterem. *Tribulationem* » *autem carnis habebunt hujusmodi. Ego autem* » *vobis parco* (I. Cor. 7, 28). Et : *Bonum est* » *homini mulierem non tangere* (Ib. 1)... Has » ergo voces exaudirem vigilantior, et abscis- » sus propter regnum caelorum, felicior ex- » spectarem amplexus tuos. Sed efferbui mi- » ser, sequens impetum fluxus mei, relicto te, » et excessi omnia legitima tua, nec evasi » flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam » tu semper aderas misericorditer saeviens, et » amarissimis aspergens offensionibus omnes » illicitas jucunditates meas, ut ita quaererem » sine offensione jucundari : et ubi hoc pos- » sem, non invenirem quidquam, praeter te, » Domine, praeter te qui fingis dolorem in » praecepto, et percutis ut sanes, et occidis » nos, ne moriamur abs te. » (Lib. 2, c. 2).

Vae ei qui spiritui bono et stimulis ejus resistit! *Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit* (Prov. 1, 24, sqq.).

Regula secunda

Secunda : in illis qui intense procedunt in purgandis suis peccatis et in servitio Dei Domini nostri de bono in melius ascendunt, obtinet modus contrarius ei qui in prima regula (notatus est) : tunc enim proprium est mali spiritus mordere, tristitia afficere, et ponere impedimenta, inquietam reddendo (animam) per falsas rationes, ne pergat ulterius. Ita S. P.

Duo in iis *conjuncta* supponuntur, quae non sunt separanda : 1. Intensa et continuo crescens peccatorum purgatio, quae et ipsa duplici constat elemento : altero, contritione scilicet, magis ac magis per dolorem, horrorem et detestationem praeterita peccata luimus : *Amplius lava me ab iniquitate mea;* altero, quod tempus praesens spectat, a peccatis iterum committendis majore in dies diligentia abstinemus. 2. Nec satis est peccata vitare; ad plenam justitiam necesse est ut *in servitio Dei Domini nostri de bono in melius ascendatur.*

Haec igitur duo concurrant oportet. Unde patet hanc regulam, sive iis qui adhuc peccatis consentiunt, sive iis, etiam justis, qui tepide vivunt, aptari non solere. Hisce enim duabus classibus prima potius regula communiter erit applicanda.

Tunc enim proprium est mali spiritus mordere, tristitia afficere, et ponere impedimenta. 1. *Mordere;* etenim viatori qui ad sanctitatem properat, occurrit canis ille infernalis eique ad terrorem incutiendum assultat, nec assultat solum, sed et eum mordet, quantum potest, ut ingeminato terrore eum a suo proposito avertat. Sic Manresae S. Ignatium initio conversionis suae momordit; sic S. Franciscum et innumeros alios. 2. *Tristitia afficere :* solet enim generosos animos perturbare et nubibus moestitiae obvolvere, ne gaudium Spiritus Sancti sentiant. Novit enim verbum illud : *Tristitiam non des animae tuae, et non affligas temetipsum in consilio tuo... Miserere animae tuae placens Deo, et contine : congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe repelle a te. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa* (Eccli. 30, 22, sqq.). Novit et illud : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (Ps. 118). 3. *Ponere impedimenta,* difficultates objiciendo et exaggerando, tentationes omnis generis contra fidem, spem, charitatem, castitatem congerendo, scrupulos excitando, etc. Ita S. Alphonsum Rodericium tentavit, atque S. Petrum Claver. Ita et Sanctum Parentem nostrum, cui, cum Manresae initio conversionis suae versaretur, objecit :

Quomodo arctam istam vitam in summa abjectione, paupertate et contemptu a trigesimo anno ad septuagesimum poteris producere? Certo certius a proposito deficies, et omnes tui defectionem irridebunt. Alias eumdem diabolus scrupulis et conscientiae anxietate longo tempore adeo vexavit, ut ei ad extremam desperationem ferme adacto e fenestra praecipitem se dare suaderet. Quam autem heroice inimicum vicerit ac protriverit, supra vidimus.

Quid per ista omnia diabolus intendit, nisi *reddere animam inquietam?* Animae quae *intense procedit in purgandis suis peccatis,* non proponit peccare, sed nocere quocumque modo volens, quoad commissas ante iniquitates has sollicitudines ingerit : hoc et illud peccatum non bene confessa es, hanc circumstantiam omisisti; debita contritio et propositum defuere; si eadem occasio recurreret, idem faceres : *de propitiato peccato noli esse sine metu;* certum adfuit peccatum, non certa remissio. Si autem haec tentatio diabolo successerit, mox sese debilitatum et abjectum homo sentiet. Hinc enim usus exercitiorum spiritualium vel remissus fieri solet, vel certe multiplici et molestissima distractione impeditus, qua anxietatis illius causas nobiscum quasi disputamus,

absque ullo prorsus effectu, nisi quod inde mens perturbetur magis.

Quid igitur illi qui ita vexatur praestandum est? Meminerit ei qui purgandis vitandisque peccatis dat operam, pacem esse ab angelis ipsis denuntiatam : « *et in terra pax hominibus bonae voluntatis* »; sollicitudines illas, quarum finis est *ne quis progrediatur ulterius,* ab inimico tantum animarum objici posse; falsas proinde esse habendas absque ullo examine rationes objectas, qualescumque appareant et quantumvis moveant. Quid inde? Cavendum est ei a principio, ne rationes illas discutiat, cum profecto falsae sint, et non liceat, immo et summopere noceat cum diabolo ratiocinari. Ad quid enim dantur regulae discretionis spirituum? Ad hoc ut signis quibusdam externis certo agnoscamus hanc illamve cogitationem a malo spiritu venire, ac proinde, omni alio examine omisso, contemnendam esse et rejiciendam. Idem dicendum videtur de dubio, quo vexantur interdum homines classis supradictae, utrum scilicet tentationibus consensum dederint necne. Qui enim in Deum bene sunt affecti, hanc voluntatem mutare non possunt, quin hoc plane sentiant.

In praedictis animabus intense proficientibus quomodo operatur bonus Spiritus? *Pro-*

prium boni spiritus est, ait S. P., illis *dare animum et vires, consolationes, lacrymas, inspirationes, et quietem animi, facilia reddendo omnia, et removendo omnia impedimenta, ut in bene operando procedat ulterius.*

Proprium est, id est, ita movet angelus animam quotiescumque ipse eam movet. Homo tamen in seipso, divina juvante gratia, hos animi motus excitare potest. Sunt enim qui natura generosi seipsos ad eximie agendum accendunt, sunt qui proprio ingenio vires et lumen ex meditatione hauriunt, qui facile in lacrymas solvuntur, qui impedimenta vel minus inveniunt, vel propter indolem aut virtutis habitum minus sentiunt. Illi autem affectus, modo ad pergendum ulterius in solidis virtutibus, humilitate, mortificatione, victoria sui ipsius, oratione, charitate nos impellant, boni sunt nec etiam sine gratia, quia *sine me nihil potestis facere.* Ast de his jam non agitur, sed de actione boni spiritus, qui, cum a Deo mittatur, plerumque sine causa aut operatione praecedente, etiam ubi minime exspectatur, *animum et vires* addit, omnemque tristitiam propellit, dat *consolationes,* quae semper verae sunt et suaves, dat *lacrymas,* quae non a natura veniunt, sed a supernaturali quodam sensu, sive contritionis, sive compassionis

erga Christum patientem, sive amoris Dei. Multum tamen hic est attendendum. Fieri enim potest, ut affectus illi aut lacrymae, immo et quaedam veluti ecstases, aliaque dona similia a ferventi imaginatione et a sensu naturali veniant. Haud difficile illud ex hoc criterio dignosces, quod adveniente magna difficultate cito ac facile sensus illi evanescant. Qui autem a Spiritu Dei subjiciuntur, omnes vincunt difficultates, immo et ipsis difficultatibus crescunt et aluntur adversis. *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (CANT. 8, 7); quod insinuat S. P. his verbis : *facilia reddendo omnia et removendo omnia impedimenta.*

Est et aliud criterium, illudque infallibile, quod gratiae illae non a malo spiritu suggerantur, illud nempe quo hanc regulam S. P. concludit : *ut in bene operando procedat ulterius.* Nam inimicus noster, utpote natura malus, semper quod malum est aut proponit, aut intendit, vel etiam, si nil aliud assequi potest, minus bonum pro majori suadet eligere. Jam vero *in bene operando non procedet ulterius,* qui has suggestiones audiverit.

Regula tertia

De consolatione spirituali

Tertia, ait S. P. : *de consolatione spirituali. Spirituali;* nam aliae consolationes peccaminosae sunt, ideoque abhorrendae, quia ex peccati delectatione enascuntur, illa quidem brevi et mortali veneno infecta. Aliae quasi indifferentes sunt, eaeque vanae plerumque et semper fugaces, utpote circa temporalia versantes. Sic gaudet homo de inexspectata divitiarum accessione, de recuperata sanitate, de aestimatione et amicitia hominum, de felici ad munus honorificum electione, de successu in studiis, de jucundo spectaculo, etc., quae omnia stabilitate carent. Aliae demum consolationes, de quibus agit hic Ignatius, spirituales sunt, quae scilicet a Spiritu Sancto emanant et divina tantum caelestiaque spectant sine ulla terrestrium affectionum admixtione.

Quas consolationes ad triplicem classem revocat Sanctus noster Fundator.

1. *Voco consolationem, quando in anima excitatur motio aliqua interior, qua inflammari incipit anima in amore sui Creatoris ac Domini : et consequenter, quando (anima) nullam rem creatam super faciem terrae amare potest in seipsa, sed (solummodo) in Creatore omnium illarum.*

Si hominibus nihil mutuo amore dulcius, quanto dulcius erit amari ab eo qui infinite bonus est, et infinitam ejus amabilitatem sentire eaque delectari! Hac ineffabili consolatione perfundebatur illa Canticorum sponsa, cum exclamaret : *Dilectus meus mihi et ego illi : — Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo. Fortis est ut mors dilectio... lampades ejus lampades ignis atque flammarum* (Cant. Cant.).

Duplex enim amor Dei est, alter substantialis, qui in adimplenda divina voluntate consistit, et solus aeternae gloriae meritorius est : *ut sequens me in poena sequatur et in gloria* (De Regno Christi); alter adventitius, deliciis affluens, et ideo consolatio spiritualis appellatus : qui per se nullius est meriti. In priori enim dat anima Deo, in posteriore dat animae Deus. At licet sine merito, non tamen sine emolumento fruitur anima consolatione; nam ad substantialem amorem acuendum et confirmandum multum juvat spiritualis consolatio, atque in hunc finem a Deo infunditur.

Hic de deliciis amoris, seu de consolatione agitur; satis in reliquis Exercitiorum partibus ad substantialem amorem excitandum et perficiendum adlaboratum est.

Quantae illae sint amoris deliciae, satis

apparet cum ex libro Canticorum, tum ex vita Sanctorum. Tantae quidem illae sunt, ut de iis dicat Th. Kemp. : « Esse cum Jesu, » dulcis paradisus. »

Quo autem melius intelligas unde spiritualis consolatio graduumque ejus varietas et vis oriantur, adverte non in homine tantum distingui amorem substantialem ab affectivo, sed et quodammodo in Deo. Substantiali amore homines, etiam sibi inimicos, quamdiu in terris agunt, semper diligit. *Sic Deus dilexit* MUNDUM, *ut Filium suum unigenitum daret;* ita nos dilexit, etiam *quum inimici ejus essemus.* Sed justos prae ceteris diligit : *Si quis diligit me, ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus.*

Amor autem ille Dei manere solet, ut ita loquar, in statu substantiali, fideque percipitur : *Justus meus ex fide vivit.* Interdum autem, sive ad excitandos incipientes, sive ad delectandos et promovendos illos *qui in divino servitio intense procedunt,* amor ille fit affectivus, ita ut homo amari se a Deo sentiat; hinc consolatio.

Affectivus ille Dei amor duplici modo se exhibet; illustratione intellectus, immo quandoque et imaginationis, ac motione voluntatis et cordis. Intellectui nimirum summe amabi-

lem se Deus ostendit, amantissimum autem voluntati. Inde mentis humanae gaudium et exsultatio.

Jam vero duplici quasi mensura Deus amorem suum animae patefacit, ordinaria scilicet et extraordinaria consolatione. De consolatione generaliter considerata disputat S. P., neque ordinariam ab extraordinaria distinguit. Totus in eo versatur, ut indubitatis signis veram consolationem secernat ab ea quae a malo spiritu venit. Quare et naturam et criteria verae consolationis accuratissime, quamvis paucissimis verbis, describit.

Voco, ait *consolationem, quando in anima excitatur motio aliqua interior, qua inflammari incipit anima in amore sui Creatoris ac Domini;* quae verba omnia sunt diligenter perpendenda.

In anima excitatur : non ait, quando anima excitando se incipit inflammari; nam consolatio a Deo excitatur *in* anima, per *aliquam motionem interiorem,* quae vel ad viam ordinariam, vel ad extraordinariam pertinet. De natura igitur consolationis est *motio* illa seu affectus. Non equidem deest mentis aut imaginationis illustratio, qua Deus se revelat ut amabilissimum; sed anima ad amandum imprimis excitatur, cum eam Deus amoris sui

sensu afficiens ad vices reddendas provocat. In mutuo autem illo amore inenarrabiles deliciae sunt. *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te!* (Ps. 30, 20). Expertus solus potest intelligere quid sit Jesum diligere.

Motio *interior :* ergo non a creaturis aut rebus jucundis accepta, sed a Deo, cujus solius est, ut in sequentibus dicetur, *animam intrare, egredi et facere motionem in illa.*

Qua incipit anima inflammari; amor scilicet quem substantialem nominavimus, prius erat in anima, quae subito se sentit excitatam, simulque non a seipsa, non ex causa praecedente, divino amore incipit inflammari. Aderat equidem ignis amoris, sed sine flamma, sine vi, quasi cineri suppositus; Spiritus Sanctus illum ipse suscitavit, et flamma collucens exarsit.

Plura jam criteria verae consolationis indicata sunt : motio interior et sine causa praecedente, motio subita et improvisa, motio ad amorem Dei excitans. Restat unum, illudque certissimum quod ita per modum consequentiae a S. P. exprimitur : *et consequenter, quando anima nullam rem creatam super faciem terrae amare potest in seipsa, sed solummodo in Creatore omnium illarum.* Haec utique consequentia est,

eaque necessaria, si vera sit consolatio, tamdiuque subsistet, quamdiu pura consolatio perdurabit. Tanta enim est divinae amabilitatis et amoris Dei delectatio, ut quaecumque alia, ea praesente, fatua et nulla videatur neque possit delibari : *Quam sordet tellus, cum caelum aspicio !*

Si igitur illi amori amor cujuscumque creaturae sit admixtus, falsa, aut suspecta, aut naturalis sit consolatio necesse est.

Hinc ad praedicta criteria multum est attendendum, ne diaboli in angelum lucis se transfigurantis actio pro divina teneatur, aut pro gratia habeatur naturae quaedam ad exhilarandum dispositio. In utroque casu fraus ex eo dignosci poterit, quod anima his in motionibus sive ad bene de se sentiendum, sive ad dissipationem, ad infimas delectationes, ad rem quamcumque malam aut minus bene ordinatam se sentiet inclinari. Ubi vera consolatio conceditur, cum humillima gratiarum actione suscipi debet, ad exemplum S. P. N. in ecstasibus exclamantis : Deus meus, quid tanta liberalitate mecum agis homine peccatore? Super omnia vero fugienda est vana complacentia, quae Deum arcet et insidiis diaboli viam aperit.

2. Ad secundam consolationis speciem ve-

niamus. *Item,* ait S. P., *quando fundit lacrymas, moventes ad amorem Domini sui, sive sit ob dolorem de suis peccatis, sive de Passione Christi Domini nostri, sive de aliis rebus directe ordinatis in ejus servitium et laudem.*

Sicuti modo non de quacumque, sed de subita et magna ad Deum amandum motione, ita et nunc S. P. non de effusione lacrymarum aliqua, sed de subita et abundante loquitur. Quod patet ex voce hispanica *lança*. Ne tamen inde concludas lacrymam ex commiseratione Christi patientis obortam nullius esse meriti; quam S. Augustinus a Deo pluris aestimari censet quam magnam corporis poenitentiam. Attamen vis illa et impetus divinae motionis signa sunt clariora atque ad veram animi delectationem requisita.

Quales vero hae lacrymae esse debeant, videamus. Primo, sint dulcissimae : secus nil haberent consolationis; secundo, a Deo directe excitentur; tertio, *moveant ad amorem Dei et directe ordinentur in ejus servitium et laudem*. Non igitur consolationis nomine vocandae sunt lacrymae quae a quibusdam propter teneriorem corporis habitum funduntur, quippe quae naturales sint; nec illae quas peccator, suam miseriam et poenas quas meretur attendens, territus fundit : sic flevit

Antiochus, sic flevit et ejulavit Esau. Multo minus etiam spirituales consolationes dici possunt lacrymae quae vanitati serviunt, quae scilicet eo fine a diabolo moventur, ut inde aliquis vel ceteris vel saltem sibi ipsi sanctum se esse persuadeat. Notandum est lacrymas ab inimico elicitas cito arescere, nec nisi superbiae et hypocrisis fructus edere.

3. *Denique, voco consolationem omne augmentum spei, fidei, et charitatis, et omnem laetitiam internam quae vocat et attrahit ad res caelestes et ad propriam salutem animae suae; reddendo illam quietam et pacificando illam in suo Creatore ac Domino.*

In hoc tertio ceterae omnes consolationes continentur : ac primo quidem *omne augmentum spei, fidei et charitatis*. Ea consolatio, cum solidas ipsas et theologicas virtutes respiciat, proptereaque illusio nequidquam hic possit irrepere, pretiosissima est et ab omnibus quaeri debet et exoptari.

Primo loco spem ponit S. P., secundo fidem, quia in consolatione fiducia, quae est effectus fidei, lumen fidei praecedit et ad illud cum amore conspiciendum disponit. Fiducia autem inde oritur, quod illico Deus amabilem se et amantem animae exhibet : ex quo nonnunquam fidei veritates ita collustratae appa-

rent, ut quasi praesentes sint et ignem charitatis vehementer accendant : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

Juvat hic sapientissimum P. Gagliardi documentum subjicere, quod ad hunc secundum consolationis modum refertur : « Secunda » consolatio est in *actu ipso* virtutis, per quem » virtus ipsa augetur, percipiturque robur, » satisfactio et efficacia in illo opere; et haec » esse potest sine prima, immo cum desola- » tione illi opposita; et patet in laboribus, » aerumnis ac tribulationibus Sanctorum, in » quibus sine interno gustu, immo cum ma- » ximo sensu doloris, operabantur strenue, et » cum magna efficacia, ac virili quodam ani- » mi sensu. De hac S. P. ait : *omne augmentum* » *spei, fidei et charitatis*. Certum est autem, » quod actus quo virtus augetur, ut plurimum » debet esse validus ac vehemens. » Hic igitur merces ipsa sibi virtus est.

Secundo loco veniunt cetera omnia quae ad consolationem pertinent : *Et omnem laetitiam internam, quae vocat et attrahit ad res caelestes et ad propriam salutem animae suae.* Haec igitur laetitia dumtaxat consolatio est, quae *interna* et a solo Deo data, in Deo solo quiescit ejusque ad gloriam amoremque inducit.

Finis autem illius laetitiae est *reddere ani-*

mam quietam, et pacificare illam in suo Creatore ac Domino. Pax vero duas partes habet : omni turbatione liberat et intus omnia componit juxta Dei voluntatem. Est igitur, ut cum Augustino loquamur, tranquillitas ordinis a Deo praescripti. Quare unus est ex fructibus Spiritus Sancti et superat omnem hominis sensum.

His quae de consolatione dicta sunt eximiam P. Gagliardi notam, per modum conclusionis addemus. « Est et alia, inquit, illarum » consolationum discretio, quae est magni » momenti; quod prima non est valde sancta » per se, sed solum est stimulus ad bonum, » si caute et recte ea utamur; non enim est » actus amoris aut virtutis, sed est passio inde » consequens, potestque multis modis per- » verti, et in malum tendere, nec est magni » facienda; et secunda, cum contineat aug- » mentum virtutis, vere sancta est et magni » aestimanda; similiter et tertia. » De hac autem tertia alibi dicit : « Est omnium per- » fectissima, vera scilicet animi quies; nam » de ficta et inani non loquimur, cum haec » possit cum prima delectatione confundi. »

Regula quarta

De desolatione spirituali

In *quarta regula* S. P. N. *de desolatione spirituali* disserit. Tacet nimirum de rebus quae naturaliter animam tristitia afficiunt, utpote quae ad bonum morale per se non referuntur. Magnum tamen consolationes naturales inter et naturales desolationes discrimen interest. Illae enim, etsi cum merito et cum charitatis incremento ad gloriam Dei referri possunt, tamen in detrimentum animae et in ejus perniciem cedunt quam saepissime; hae autem, si pie excipiantur, non tantum ad salutem conferunt, sed et ad laetitiam, ita ut tribulationes temporales consolationis ipsius spiritualis nomen mereantur. Quod quidem soli capiunt qui mysterium crucis didicerunt, uti Paulus inter angustias omnis generis exclamans : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (2 Cor. 7, 4).

De sola igitur *spirituali* desolatione, quae eos afficere solet qui ambulant in spiritu, loquitur S. Fundator. Quod enim in rebus caelestibus cernere est, hoc et in animabus Deo etiam ferventer servientibus. Sicut diei claritati succedunt noctis tenebrae, et sereno caelo

nubes et atra tempestas, ita consolationem sequitur desolatio, saepeque in maerorem vertitur gaudium, et pax in sollicitudinem, et breve tempus lumen affulget. Sic *transeunt suis spatiis universa sub caelo* (Eccli. 3, 1). Dixerat Propheta : *Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in aeternum;* at paulo post subjicit : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (Ps. 29, 7, 9).

Cuique igitur, ubi ad serviendum Deo se comparat, spiritualis desolatio viriliter est exspectanda. *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum et sustine; inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus : et ne festines in tempore obductionis. Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum et argentum : homines vero receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, et recuperabit te : et dirige viam tuam, et spera in illum* (Eccli. 2, 1 sqq.). Audiamus S. Gregorium (Lib. 24, Mor. 7.) : « In inchoatione » inveniunt blandimenta dulcedinis, in medio » certamina tentationis, ad extremum perfec- » tionem plenitudinis. Prius dulcia suscipiunt

» quae consolentur, postmodum amara quae » exerceant, et demum suavia et sublimia » quae confirment. »

Duplex est desolatio, altera quam negativam vocant, in qua consolationis suavitas omnis aufertur, ejusque loco succedit taedium, angor et aegritudo partis inferioris; altera positiva, quae ita mentem obtenebrat et voluntatem excruciat, ut saepius poenis inferni haud multum absimilis videatur. *Dolores inferni circumdederunt me : praecoccupaverunt me laquei mortis* (Ps. 17, 6).

Quartam regulam sic exponit S. P. : *Voco desolationem omne quod contrarium est dictis in tertia regula, ut obtenebrationem animae, turbationem in illa, motionem ad res infimas et terrenas, inquietudinem variarum agitationum et tentationum, moventem ad diffidentiam, sine spe, sine amore, cum se reperiat (anima) totam pigram, tepidam, tristem, et veluti separatam a Creatore ac Domino suo : quia sicut consolatio contraria est desolationi, eodem modo cogitationes, quae oriuntur ex consolatione, contrariae sunt cogitationibus, quae oriuntur ex desolatione.*

Desolatio, quam negativam appellavimus, vix eos afficit qui vitae spirituali assueti consolationes sensibiles raro sentiunt aut earum inconstantiam experientia noverunt. Incipien-

tes autem, atque ii qui in famulatu divino seipsos ac sua quaerunt magis quam quae sunt Jesu Christi, gratiae sensibilis privatione usque eo perturbantur, ut nonnunquam animo deficientes opus inceptum omittant.

De utraque desolatione, nullo facto discrimine, tractat S. Ignatius, et nonnulla desolationis genera enumerat. *Ut obtenebrationem animae :* haec est magna desolatio mentis, quae prius forte divinarum veritatum lumine perfusa, Mysteria Christi cum magno affectu quasi praesens contemplabatur. Jam tenebris obvoluta nil videt, nil sentit, nulla re movetur. Abiit omnis laetitiae sensus, aruerunt lacrymae devotionis, in hiemem versa est aestas, et qui torrente voluptatis inebriabatur, repletur amaritudine, dicitque cum Tobia : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video* (5, 12)? aut cum Isaïa : *Aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit* (c. 15). Ista quidem in parte inferiore; in parte vero superiore, languet voluntas nusquam consolationem inveniens, nec in Deo, nec in creaturis. Quid si, praeter illa, anima, id permittente Deo ad purgationem, terrenis bonis spolietur, deseratur ab amicis, per ora omnium tanquam illusa traducatur, despiciatur ut insana, morbis corripiatur, vexetur a dia-

bolo, et nihil ei, quocumque se vertat, nisi afflictiones, irrisiones, et persecutiones occurrant?

Turbationem in illa. Obtenebratio intellectum respicit; turbatio, conscientiam : haec ex illa procedit. In turbationibus illis, per falsas rationes, quas inducit inimicus, existimat anima versari se in peccato et a gratia excidisse, sive quod se gravi tentationi consensum dedisse, sive quod confessionibus suis defuisse sinceritatem aut contritionem, sive quod scrupulis obnoxia se culpam admisisse falso judicet, etc. Eo etiam anxietatis quandoque devenit, ut reprobam se fore persuasum habeat. Hanc desolationem sensere S. Franciscus Salesius et S. Ignatius; Sancta quoque Angela de Fulgineo, quae prae tali desolatione genus quodcumque martyrii maluisset, et S. Maria Magdalena de Pazzis, quae per totum quinquennium permansit arida, desolata, ab omnibus derelicta, a daemonibus flagellata, blasphemiae tentatione vexata, ac usu rationis fere destituta. Simili pariter modo probatus est dilectus nobis pater de Ravignan.

Motionem ad res infimas ac terrenas : ad res scilicet quae sensibus delectationem afferunt nobis cum bestiis communem, et hac in terra continentur. Porro sicut in consolatione de-

lectatio Dei tanta est, ut qui ea fruitur *nullam rem creatam super faciem terrae amare possit in seipsa, sed solum in Creatore earum;* ita in desolatione, in qua Deus quasi fastidium affert, mens ad delectationem quaerendam in rebus creatis inclinatur. Hunc animum ita in se deflebat S. Bernardus : « Ubi mentis serenitas » et gaudium Spiritus Sancti? Ideo sum ad » opus manuum piger, ad vigilias somnolen- » tus, ad iram praeceps, ad odium pertinax, » linguae et gulae indulgentior, segnior obtu- » siorque ad praedicationem. Heu! omnes » montes in circuitu visitat Dominus, ad me » autem non appropinquat. » (SERM. 54 in CANT.).

Inquietudinem variarum agitationum et tentationum. Agitationum et tentationum idem effectus, non autem causa est eadem. Potest enim aliquis agitari (neque ideo tentatur) cogitationibus importunis inter orandum, v. g. cura negotiorum, familiae, rei cujusvis susceptae, vel anxietate temporis futuri. Saepe etiam inimicus nos agitat, ut ad tentationem possit deducere : sic acceptam injuriam in memoriam revocat, primo ut nos perturbet, dein ut injuriae renovet sensum, et tandem ad odium trahat ac vindictam.

Tentationes : desolationi conjungi solent.

Quantam autem animae devotae sollicitudinem pariant, dicere necesse non est. Jam vero multae eaeque non raro gravissimae in desolatione occurrunt, praesertim cum animam aliquam ad sublimiorem perfectionis gradum Deus evehere intendit. Praecipuae circa fidem, puritatem, spem et charitatem versantur; quas inter ea periculosior est quae fidem impugnat.

Etenim cum fides sit totius Religionis et omnium virtutum supernaturalium necessarium et essentiale fundamentum, everso fundamento, ruat oportet totum illud aedificium. Jam vero in vehementibus infidelitatis tentationibus, anima non aliter afficitur ac si ipsamet Dei existentia et ceterae fidei veritates funditus essent eversae. Hinc maxima animae desolatio, cui ad qualemcumque consolationem aditus omnes praecludi videntur. In aliis enim tentationibus restat haec consolatio, quod sit Deus a quo qui tentatur auxilium speret; hic autem jam non habet quo se vertat : a terrenis solatiis prohibetur, caret caelestibus, et futurae vitae exspectatio vana apparet.

Ne tamen ille cadat animo qui ita probatur : hoc enim more Deus erga sanctos sibi carissimos non raro usus est. Sanctae ipsi Teresiae quandoque accidit, ut nonnisi summa vi

coram SS. Sacramento genua flecteret; adeo extinctus in ea divinae praesentiae sensus videbatur. Simili tentatione cum cruciaretur S. Franciscus Salesius, cum Deo convenit admoturum se manum pectori ut suam fidem testaretur. Visa est identidem S. Joanna de Chantal lacrymarum plena, eo quod nec fidem, nec spem, nec charitatem jam in se sentiret.

Quid ergo in istis angustiis agendum? Respondet Paulus : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (2 Cor. 10, 5). Quae verba si bene intellexeris, rationem omnem pugnandi tenebis. Sicut captivus nulla ex parte libertatem repetere potest, ita in tentationibus infidelitatis captivum tu retineas intellectum, ut nulla ei ratiocinandi facultas relinquatur : *omnem,* ait Apostolus, *intellectum.*

Quantum illud est obsequium Christi, quod praecipuam ac nobilissimam hominis facultatatem, intellectum nempe, divinae Majestati ac Veritati subjicit, et quasi pro nihilo habet!

Ne igitur disputare cum perfido et acutissimo tenebrarum angelo, neve, suadente illo, rationes ullas quaerere velis, quibus dubium tuum solvas, sed etiam contra sensum tuum et contra nescio quem erroris speciem, etiamsi ore tantum dicere tibi videaris, dic te credere Christo velle. Neque mentiris ullo modo : os

equidem non sensum tuum, qui extinctus est et non requiritur, exprimet, sed voluntatem, quam solam Deus requirit : *Ex abundantia cordis os loquitur*. Etenim fides, non obstantibus sensibus contrariis, eo purior est, quo in voluntate altius delitescit, et eo securior, quod hac in sede diabolus attingere nequit. Qui timet Deum, qui tentationes reformidat, qui SS. Sacramentum veneratur, verbo qui opera fidei facit, fidem habet. Qui fidem vere negavit, cessat ab operibus fidei.

De tentationibus blasphemiae hoc unum dicendum est, quod propter horrorem iis insitum, multo minus habent periculi, ac eodem ferme modo, quo tentationes contra fidem, sunt rejiciendae.

Communissimae autem et importunissimae sunt tentationes sensualitatis et luxuriae, quae ex natura prava oriuntur, aluntur delicatiore victu, desidia, libertate sensuum, oculorum praesertim, luxu vestium, nimia et familiariore cum altero sensu consuetudine, mollioribus amicitiis, nimio etiam illarum tentationum examine; excitantur tandem a diabolo eo saltem fine, ut omittatur tum oratio, tum ipsamet sacra communio.

Ad gloriam suam et ad bonum animarum has tentationes permittit Deus. Castitas enim

fortior est et splendidior, cum in fornace tentationum probata vim ignis superavit. Ex hac probatione oriuntur multae virtutes, humilitas imprimis, patientia, pietas, amor Dei et sincera erga tentatos charitas. Ideo Paulus aiebat : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Cum quis vehementer apud Beatissimam Virginem intercederet, ut alium tentationibus contra castitatem vexatum ipsa liberaret, « nequaquam » id faciam, respondit diva Mater, absit ut a » caelesti ejus corona pulcherrimas margaritas » ego detraham. Sine certamine, nulla victo» ria est, nulla gloria. » Piissimi viri et Sancti plures eximii his in tentationibus laudem aeternam adepti sunt. Vir venerabilis Caesar de Bus, Patrum doctrinae christianae Fundator, per talia certamina ad apicem sanctitatis pervenit; Maria de Jesu, Fundatrix Congregationis N. D., incredibiliter eodem modo exercita est. S. Petrus Caelestinus impuris tentationibus eousque est exagitatus, ut de omittenda missae celebratione Summum Pontificem consuluerit. De S. Hieronymo, de S. Paulo et de aliis multis dicere supervacaneum est.

Quid igitur tibi ita tentato praestandum est? 1. Occasiones fuge. 2. Ne sis otiosus.

3. Sobrius esto. 4. Sis humilis. « Castitas de- » tur, ait S. Bernardus, humilitas meretur. » Superbiae poena plerumque impudicitia. 5. Vigil esto et ab ipso tentationis principio resiste. Ubi semel, dicere solebat S. P. N., caput anguis inseruit, totum corpus pariter insinuat. 6. Ora B. Virginem, ejus castissimum sponsum, tuum angelum, eoque instantius quo diuturnior tentatio erit aut molestior.

Quam multae et optimae animae propter ejusmodi tentationes dubiis et scrupulis vexentur, periti norunt confessarii. Ex eo quippe agitantur, quod sensum a consensu non distinguant. Jam vero, juxta sanam Theologiam, peccatum mortale tam plenum animi assensum tamque absolutam voluntatis determinationem exigit, ut in iis qui sibi attendere solent, dubio locus esse non possit. Proinde si vitam agis Deo devotam, tibi dubium ipsum certissimum signum erit, quod consensum plenum tentationi non dederis. Noli igitur, quia dubius es, omittere sacram communionem aut ulterius conscientiam examinare, utrum necne consensus adfuerit. Examen enim illud esset inutile, siquidem, ut diximus, ex dubio constet consensum plenum non adfuisse; esset et nocivum, quia tentationes renovaret atque augeret.

Communissima pariter est ac vix non universalis, sive apud justos, sive apud peccatores, tentatio pusillanimitatis et diffidentiae. Cur peccatores in peccatis suis perseverant? Audi Paulum ad Ephes. (4, 19) : *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.* Ipsae quoque animae justae, unde laborant ac in via spirituali retardantur, nisi ex eo quod animum despondeant, atque in Deo minus confidant? Hinc fit ut ordinarium ac praecipuum confessariorum ac directorum munus sit animos erigere.

Jam ad directionem animarum dicere hic oportet de extraordinariis a daemone excitatis tentationibus.

Circa eas quaedam praenotanda sunt, et *primo* quidem eas excitari non posse nisi permittente Deo; *secundo* Deum, ubi eas permittit, ita concedere et augere gratiam, ut animae non solum his tentationibus resistere possint, sed mirabili plerumque vigore se pollere sentiant : *fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere; tertio,* non vulgares animas extraordinariis illis tentationibus vexari, sed selectas, quas ad extraordinaria dona Deus praeparat, eas vero maxime,

quae aut dono orationis ornantur aut ad illud accipiendum se comparant. Quo enim plus anima vacua sui est et plena Deo, eo magis ei diabolus insultat. Si quis autem dicere cum Paulo possit : *Mortuus sum, et vita mea abscondita est cum Christo in Deo,* non jam unus daemon, ait S. Teresia, nec daemonum legio, si praesertim de operario vere apostolico quaestio sit, sed totus infernus in rabiem agitur et currit ad arma. Praedicatores autem ac directores qui adhuc aliquo modo naturae, famae oratoriae, temporalibus bonis et propriis commodis inserviunt, utpote sibi innocuos, sat pacifice vivere permittit.

Omittimus impugnationes daemonum in corpora, ut ad interiores assultus veniamus, quorum notitia rectoribus animarum nonnumquam est pernecessària, ne actus diabolicos pro actibus humanae voluntatis habeant. Tentatio extraordinaria quandoque, juxta magistros vitae spiritualis, tanta est, ut quidquid agitur in inferno, id anima in se sentiat : Deum, superiores, pias mentes aversatur; plenam se sentit blasphemiis; atque iis omnibus ita adhaeret, ut non posse se illa rejicere sibi videatur. Immo daemones in ore ejus verba impia et blasphematoria efformant, quae quasi libere et voluntarie ipsa pronuntiat; quando-

que etiam animae facultates ita hebetant et obnubilant, ut in singulis fere momentis peccare se existimet anima, atque vix a suo judicio possit removeri. Neque suspicatur, cum nonnisi abominabilia et exsecrabilia in se conspiciat, quam mirabilia Deus in voluntate sua operetur. Vae animabus illis, si in manus imperiti directoris incidant, qui in eis has culpas arguat aut ad arguendum se pronum ostendat! Ad desperationem enim deducentur.

In extraordinariis istis probationibus requiritur magna patientia : *Patientia opus perfectum habet*. Ne anima, quantum fieri potest, de suis desolationibus occupetur, ne earum signa prodat exterius, sed integram se Deo tradat, et speret contra spem. Super omnia juvabit maxima humilitas, qua omnibus se daemonibus pejorem judicet et odio, contemptu ac suppliciis dignam. Etenim ad sincerae humilitatis adspectum totus contremit infernus.

Ex modo dictis, quae in regula quinta de desolatione sequuntur, fiunt clariora.

Regula quinta

Quid in consolatione agendum sit paucis dicet S. P.; desolationi autem multum insistit, quia ibi latent difficultas et periculum. Primo, in desolatione nulla fiat in propositis mutatio.

Tempore, ait, *desolationis, nunquam mutatio facienda est, sed standum firmiter et constanter in propositis ac determinatione in qua erat (homo) die praecedente ejusmodi desolationem, vel in determinatione in qua erat in praecedenti consolatione.* Noverat S. P. neminem sive ad donum orationis, sive ad perfectionem, sine fideli hujus regulae observatione unquam perventurum : at rem etiam ex alia parte considerat. Etenim finem a se in Exercitiis intentum semper intuens, scilicet formare per amorem Christi ejusque opprobriorum viros apostolicos, negotium praesertim electionis hic prosequitur : quod ex voce *determinationis* bis repetita evidenter patet. Dixi *praesertim,* nam totam profectus spiritualis rationem S. P. sibi proponit, quod innuit voce *in propositis,* quae vox cetera omnia et ipsam determinationem complectitur.

Et primo quidem, si de electione status

perfectionis agitur, ad talem ac tam arduam electionem magna virtus, magna liberalitas, de quibus in quinta Annotatione, omnino requiruntur. Jam vero tempore desolationis, in anima tenebris offusa, agitata, pigra, tristi et quasi a Creatore suo separata ac veluti sine spe, sine fide, sine amore, liberalitas quidem, si eximiae sit virtutis, nonnulla haberi, sin minus sentiri, poterit; magna autem virtus nequaquam, siquidem sensu contrario afficitur animus.

Huc pertinet illud consilium Spiritus Sancti, ubi de desolationibus sustinendis agit : *Ne festines in tempore obductionis* (Eccli. 2, 2). Qui enim fiat ut quis, dum mentem habet tenebris obvolutam, perturbatam ac deficientem, sanum et sapiens ineat consilium? Sistendum igitur ipsi est, ni velit in laqueos inimici incidere. Neque sistere satis est; vult quippe S. P. ut sine haesitatione *stet firmiter,* et quaecumque superveniant, *constanter in determinatione persistat in qua erat die praecedente ejusmodi desolationem,* quando scilicet facultatibus suis placide et prudenter utebatur : *vel in determinatione in qua erat in praecedenti consolatione;* atque rationem hanc continuo subjicit S. P. : *quia sicut in consolatione* (si vere haec est a Deo) *nos magis ducit et consilio suo*

dirigit bonus spiritus, ita in desolatione malus, cujus consiliis non possumus ingredi viam ad recte quid agendum.

Magis ducit, non simpliciter *ducit,* quia nimirum in uno eodemque vel consolationis, vel desolationis tempore, potest uterque bonus et malus spiritus intervenire, ut in suum quisque sensum ducat exercitantem, ac consiliis suis dirigat; at in consolatione magis movet bonus spiritus, in desolatione magis malus.

Alludit evidenter hic S. Ignatius duobus temporibus electionis. Prius tempus est tranquillum, extra consolationem atque desolationem, in quo qui statum eligit sola ratione ac fide ducitur; exprimitur autem illud hoc modo : *in qua erat die praecedente ejusmodi desolationem;* estque tempus illud securius ac certius, utpote a vicissitudinibus affectuum remotius. Posterius autem tempus illud est, in quo *multum* claritatis et cognitionis per experientiam consolationum et desolationum obtinetur; designatur autem a S. P. his verbis : *in qua erat in praecedenti consolatione.* In priore tempore, nil praeter rationem et fidem (supposita semper Dei gratia) requiritur; in altero autem, consolationum et desolationum experimenta per se non sufficiunt; juxta S.

Patrem regulae de discretione spirituum addantur necesse est.

Non omnes qui peragunt Exercitia statum eligendum, quem forte jam habent, sed omnes suae vitae reformationem debent intendere; ideo S. P. hic non de sola determinatione loquitur, sed et de *propositis* quae omnibus et singulis exercitantibus efformanda sunt. Ubi autem proposita illa ad perfectionem jam electam consequendam, sive tranquillo tempore, sive tempore consolationis, concepta sunt, vult S. P. ut exercitans, quaecumque ingruant tenebrae ac procellae, iis *stet firmiter et constanter,* neque ulla fiat, tempore desolationis, mutatio. In hoc praecepto tota veri in via spirituali progressus ratio continetur; ex hac firmitate et constantia Sancti omnes, atque in primis Ignatius, ad summum perfectionis apicem pervenere. Unde fit quod tot religiosi sacris Exercitiis quotannis vacent, nec tamen sanctitatem consequantur, nisi ex eo quod, bonis conceptis propositis, firmitatem illam et constantiam non adhibeant? Ex eodem defectu quot piae, ut dicuntur, animae vix ad nullam vitae suae emendationem pertingunt! Tempore consolationis animose currunt, sed accedente desolatione incepta relinquunt. Animae enim non proficiunt multis

confessionibus et communionibus, et longis precum recitationibus, nisi accedat *firmitas* et *constantia* propositorum, hoc est, nisi abnegent seipsas et serviant non sibi, sed Deo : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me.*

Legatur hic attente mirabile illud de Imit. Caput 6 lib. 3, in quo latius exponuntur quae duabus vocibus *firmiter* et *constanter* S. P. perstrinxit : « Fili, non es adhuc fortis et pru» dens amator; propter modicam enim con» trarietatem *deficis a coeptis,* et nimis avide » consolationem quaeris. Fortis amator *stat* » in tentationibus, nec callidis credit persua» sionibus inimici. Sicut ei in prosperis pla» ceo, ita nec in adversis displiceo... Non est » ideo totum perditum, si quandoque minus » bene de me vel de Sanctis meis sentis, quam » velles. Affectus ille bonus et dulcis, quem » interdum percipis, effectus gratiae praesen» tis est, super quo non nimium insistendum, » quia vadit et venit. Certare autem adversus » incidentes malos motus animi, suggestio» nemque spernere diaboli, insigne est virtu» tis ac magni meriti. Non ergo te conturbent » alienae phantasiae, de quacumque materia » ingestae. *Forte serva propositum* et intentio» nem rectam ad Deum. »

Regula sexta

Sexta regula : Licet in desolatione non debeamus mutare priora proposita, valde tamen juvat intense mutare se (sive modum agendi, ut pugnemus) contra ipsam desolationem : v. g. insistendo magis orationi, meditationi, multum (nos) examinando et extendendo nos magis (amplius quid agendo) in aliquo convenienti modo faciendi poenitentiam. Ita S. P.

In omni desolatione, cujuscumque sit generis, haec regula a S. P. posita semper tenenda est. Actum est modo de determinatione et propositis in desolatione non mutandis; nunc agitur de mutanda in melius animae dispositione; quod ab Ignatio veluti antithesi significatur *sed mutare se.* Mutatio autem illa animum magnum supponit; eo nempe tempore quo est anima debilior, fortiora ab ea expetuntur. Quam difficultatem sensit S. P., et de ea meminit in Annotatione decima tertia, cum dicit : *Advertendum est, quod sicut tempore consolationis facile est ac leve durare in contemplatione per horam integram, ita desolationis tempore* VALDE EST DIFFICILE *illam explere.* Et continuo idem quod in hac sexta regula adminiculum subministrat : *Idcirco is qui exercetur,* AD

AGENDUM CONTRA *desolationem, et ad tentationes vincendas, debet semper durare aliquantulum ultra horam completam, ut non solum assuescat resistere adversario, sed etiam illum prosternere.* Quod in illa Annotatione de hora exercitii praecipiebat, in hac regula ad cetera omnia extendit. *Agere contra,* principium est maximum S. Ignatii in palaestra spirituali : huic namque tota profectus spiritualis ratio innititur. Inde in regulis de Reformatione vitae ait : *Cogitet unusquisque tantum se profectum facturum esse in omnibus rebus spiritualibus, quantum exiverit a proprio suo amore, voluntate et utilitate.*

Cum igitur spiritualis profectus ratio tota in vincendo seipsum consistat, concludendum est desolationem, modo regula haec sexta servetur, longe efficacius operi perfectionis favere, quam consolationem. Jam vero quid exigit in desolatione S. P.? Exigit ut qui desolationem patitur, collectis omnibus viribus, inimico non tantum resistat, sed et eum prosternat. Pugna illa durissima divinae Bonitati placet summopere, quae vinci se liberalitate nec sivit nec sinet unquam.

Vincendi autem sunt hostes duo, potentes simul et insidiosi, natura nempe et angelus malus : natura, quae, juxta Th. Kemp., se semper pro fine habet, nihil gratis facere po-

test, et statim ac desolationi subjacet, contristatur ac dejicitur; diabolus, cujus deliciae sunt in aqua turbida piscari. « Scito, ait ite-» rum Kempensis, quod antiquus inimicus » omnino nititur impedire desiderium tuum » in bono, et ab omni devoto exercitio eva-» cuare, a Sanctorum scilicet cultu, a pia » passionis meae memoria, a peccatorum utili » recordatione, a proprii cordis custodia, et a » firmo proposito proficiendi in virtute. Mul-» tas malas cogitationes ingerit, ut taedium » tibi faciat et horrorem, ut ab oratione re-» vocet et sacra lectione. Displicet illi humi-» lis confessio, et, si posset, a sacra commu-» nione cessare faceret. »

Quid contra haec praescribit S. Ignatius? Magis solito bene agere contendat desolatus mutetque se in melius, v. g. 1. *Insistendo magis orationi, meditationi.* Ita Christus in horto olivarum *factus in agonia prolixius orabat;* ita et S. Ignatius in celebri illa manresana desolatione non tantum de suis meditationibus nihil subtraxit, sed noctes ipsas orando et ad Deum vehementius clamando consumpsit. 2. *Multum nos examinando,* utrum a nobis forte haec desolatio provenerit, a nostro scilicet tepore aut negligentia, a dissipatione aliqua, a superbia ac vana spirituali complacentia, ab omissis

additionibus aut ab alia causa voluntaria, ut vitium corrigamus. Juvabit hic sequens regula nona. 3. *Et extendendo nos magis (amplius quid agendo) in aliquo convenienti modo faciendi poenitentiam.* Ubi enim natura spirituali consolatione privatur, ad terrena solatia, et quasi jam satis ipsa desolatione cruciaretur, ad omittendas vel minuendas corporales poenitentias propendet. Hoc tamen commodi habent tunc poenitentiae, quod non solum teporem excutiunt, sed etiam actum humiliationis sub potenti manu Dei continent, quo nihil ad movendam divinam clementiam efficacius. Exemplo iterum sit Christus Dominus, qui cruci appensus atrocissimos dolores cum clamorosis precibus sociavit : *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque... cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* (Hebr. 5, 7). Quanto autem desolationis turbine obvolveretur, patet ex stupendo illo clamore : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Marc. 15, 34). Item S. Ignatius in immensa illa desolatione septem integros dies, ad placandum Deum, sine cibo et potu transegit, crudelissimis interim saeviens in se poenitentiis, ita ut modum excesserit (quod ipsemet postea agnovit). Huic vitio cum vellet occurrere, hac in regula di-

xit : *in aliquo convenienti modo* faciendi poenitentiam.

Regula septima

Septima, ait S. P., *ille qui est in desolatione consideret, quomodo Deus ipsum reliquit, probationis gratia, in suis potentiis naturalibus, ut resistat variis agitationibus et tentationibus inimici : potest enim resistere cum auxilio divino, quod semper ipsi manet, licet aperte illud non sentiat (sibi adesse), quia Dominus subtraxit ipsi multum suum fervorem, magnum amorem (sensibilem), et gratiam intensam, manente tamen ipsi gratia quae sufficiat ad salutem aeternam.*

Attingit hic S. Ignatius quaestiones quae non exiguam difficultatem facessunt Theologis, quasque sine ambagibus eximie et practice solvit.

In hac regula hominem desolatum roborat S. P. argumento ex fide desumpto. In praecedenti dixit esse desolationi resistendum; nunc fundamentum adducit, cui inniti ad firmiter resistendum oporteat, scilicet quod Deus nunquam relinquit sibi servientes, quantumvis eos relinquere videatur.

Ideo S. P. quaedam ponit principia : 1° Deus desolationem permittit aut etiam immittit ad bonum animae, *probationis gratia;*

ut tollatur superbia et vana complacentia; sentiet enim anima nil posse se sine Deo et in humilitate proficiet, quae est consolationibus anteponenda. 2° Potest homo potentiis suis naturalibus, adjuvante divino auxilio, agitationibus et tentationibus resistere: contrarium autem inimicus persuadere tentat, ut animum frangat. Summi igitur momenti est, ut in illis probationibus principium illud fidei firmiter et inconcusse teneatur. *Fidelis enim est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Conferatur hic sequens regula duodecima. 3° Ea semper adest gratia, quacum homo, modo suis utatur facultatibus naturalibus et in fide speret oretque, vincere semper possit.

Quod divinum auxilium semper adsit, hoc theologice certum est; et auxilium illud, ut innuit S. P., aliquo quidem modo, viva fide et ex effectu sentire potest, at non *aperte*. Tunc enim tantum illud aperte sentit cum in consolatione versatur, in *multo nempe fervore* ac *magno amore* sensibili et *intensa gratia,* quibus nunc per amabilem Dei providentiam est privatus.

Manente tamen ipsi gratia quae sufficiat ad salutem aeternam. Notetur hic judicium practi-

cum et prudens S. Ignatii. Non enim, ut bene advertit P. Roothaan, habetur in autographo illud : *gratia quae satis esse queat,* quod legitur in vulgata et de gratia intelligitur mere *sufficienti,* opposita gratiae dictae a Scholasticis *efficaci,* sed simpliciter : quae *sufficiat*. Non enim avarus est Deus, sed semper gratiam concedit, quacum homo possit commode resistere. Unde igitur fit ut ea juvante non resistat? Causa illa est quam S. P. in meditatione de peccato Angelorum memorat : NOLENTES *se adjuvare ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino*. Quis neget Deum, cum serio velit omnes homines fieri salvos, velle et media ad finem hunc necessaria? Quis audeat asserere parcum gratiarum esse Deum, qui *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret?* (Jo. 3, 5). Certum est neminem nisi culpa sua damnatum iri. Firma illa sunt; cetera humanam scientiam effugiunt, eaque temere scrutari velle, stultitia et imprudentia est. Audi Thom. Kemp. (CAP. ULT.) : « Qui scrutator est Majestatis, oppri-
» metur a gloria. Plus valet Deus operari,
» quam homo intelligere potest... Fides a te
» exigitur et sincera vita, non altitudo in-
» tellectus, neque profunditas mysteriorum
» Dei. Si non intelligis nec capis quae infra

» te sunt, quomodo comprehendes quae su-
» pra te sunt? » Ubi igitur humana ratio ad ea scrutanda te invitat, quae inscrutabilia sunt et cum infinita Dei bonitate pugnare videntur, tu ad fidem confuge, et hanc sequere regulam in lib. Sap. (1, 1) a Spiritu Sancto expressum : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum : quoniam invenitur ab his qui non tentant illum : apparet autem eis qui fidem habent in illum.*

Regula octava

Octava : ille qui est in desolatione, ait S. P., *laboret ut persistat in patientia, quae est contraria vexationibus quae sibi ingruunt : et cogitet se cito esse consolandum : adhibendo diligentias contra ejusmodi desolationem, prout dictum est in sexta regula.*

Tria hic commendantur : 1. Persistere in patientia. 2. Exspectare redituram mox consolationem. 2 Observare regulam sextam. Tria ista sic inter se connectuntur : spe futurae consolationis erigat se exercitans, modo patientiam servet et sextae regulae diligentias adhibeat; quas diligentias non adhibebit, nisi in patientia perstiterit.

Patientia, ait S. Jacobus, *opus perfectum habet.*

Etenim ubi ariditate, pigritia, tentationibus contra fidem, spem, charitatem, conscientiae anxietatibus anima vexatur, virtus illa valde ardua est. Ideo S. P. dicit : *laboret,* non tantum ut patientiam qualemcumque habeat, sed ut in ea, quantumvis opprimatur, *persistat.* Patientiam tantum in regula commendat S. P.; de gaudio autem patiendi omnino tacet, quia in his regulis quae ad primam praesertim hebdomadam pertinent, incipientes alloquitur, qui lacte parvulorum adhuc indigent, necdum didicerunt Christum.

Inter ea vero quae patientiam in desolatione persuadent, considerari poterunt sequentia :

1. Desolationes non sunt inter mala extraordinaria reputandae : immo sibi quisque persuadeat statum desolationis esse, post primi parentis rebellionem, ordinarium. Non enim in paradiso terrestri jam vivimus, sed in terram maledictam, in locum expiationis et desolationis ejecti sumus. Hinc Job aiebat : *Militia est vita hominis super terram,* et : *Homo brevi vivens tempore multis repletur miseriis.* Necessariae utique nobis sunt desolationes, ut peccata nostra expiemus, ut a vitiis et ab amore proprio purgati ad viam illuminativam et unitivam possimus accedere.

Necessariae sunt ut adimplere possimus *quae desunt passionum Christi* (Col. 1, 24). Nam pati cum Christo futurae gloriae conditio est : *si tamen compatimur, ut et conglorificemur;* praesentes autem passiones pro nihilo habendae sunt, si cum caelesti gloria quam obtinebunt, comparentur : *Existimo enim quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis* (Rom. 8, 17, sq.). Immo et ad ipsam salutem aeternam sunt necessariae : *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 21).

2. Modo haec octava regula servetur, desolatio multo melior nobis est quam ipsa consolatio. Haec equidem magni facienda, utpote quae a Dei bonitate veniat et novos animos inspiret, sed periculosa illa via est, et spirituales magistri toti sunt in inquirendis et manifestandis innumeris illius fallaciis.

Quot enim sunt qui a daemone decepti consolatione laetantur vel naturae gaudium pro caelesti consolatione reputant! Si autem vera sit spiritualis consolatio, nullam mercedem habebit; Deus enim in caelo non ea quae dedit, sed quae accepit remunerabitur. Jam vero damus Deo cum desolationem patienter sustinemus. Praeterea in desolatione nulla

inimici illusio, nulla vana complacentia aut etiam superbia pertimescenda; magna e contra inde colligitur humilitas.

3. Crucis via regia via est, in qua nos praecessit dux noster et servator Jesus, qui omnibus ingeminat : *Qui vult venire post me abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

4. Hac via incesserunt omnes sancti, ac in primis illa quae Regina Sanctorum omnium est simul et Martyrum. « Omnes Sancti, ait » Ecclesia, quanta passi sunt tormenta, ut » pervenirent ad palmam martyrii! » S. Paulus exclamabat : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sancta autem Teresia : « Aut pati, aut mori » et S. Maria de Pazzis : « Non mori, sed pati. »

5. Desolationes signa sunt amoris Dei; Deus enim *quos amat castigat,* et quo magis amat, eo magis etiam castigat.

6. Cruces tandem exoptandae potius sunt quam timendae, quia nos a terrenis abstrahunt, et cum Christo conjungunt; ideo signa sunt praedestinationis : Christo enim hominem assimilant. *Quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus* (Rom. 8, 29).

Regula nona

Nona : tres causae sunt praecipuae, ait S. P., *ob quas desolatos nos reperimus.* Tres causas *praecipuas* exponit, eas nimirum quae magis huic hebdomadae propriae sunt et ad praesentem ac practicam exercitantis directionem conferunt. Multae enim aliae, eaeque plerumque altioris ordinis, causae sunt, propter quas dilectas sibi animas Deus affligit, ut ex iis quae in octava regula diximus colligere est.

Prima causa est, quia sumus tepidi et pigri seu negligentes in exercitiis nostris spiritualibus; atque ita ob culpas nostras elongatur spiritualis consolatio a nobis. Tepidus est qui agit quidem, sed sine animo; piger est qui a labore abhorret, nec ad meditandum *trahit,* ut ait S. P., animi facultates; negligens ille maxime est, qui tempore orationis dormitat et additiones, quasi res essent exigui momenti, non curat. Quas culpas non immerito Deus per subtractionem consolationum ad emendationem nostram vindicat. Ideo in sexta regula admonetur exercitans ut *mutet se intense,* quod teporis, pigritiae ac negligentiae contrarium est. Non diebus solum spiritualium Exercitiorum sed et totius vitae tempori illa sane applicanda sunt. Ex religiosis alii consolationibus recreantur, qui inter

ferventes et generosos certe computandi sunt. Alii hinc inde tantum hac gratia donantur; alii vero nunquam eam sentiunt, nec propterea semper teporis incusandi sunt : quosdam enim Deus, fideles aliunde ac labori strenue deditos, sola rationis ac fidei via vult incedere. Attamen plerumque qui consolatione carent in aliquo deficiunt; amat enim Deus strenuis servis suis interdum saltem caelestis solatii mercedem elargiri. Qua de re sapienter adnotat Th. Kemp. (1, 21). « Utilius saepe est et securius, » quod homo non habeat multas consolationes » in hac vita, secundum carnem praecipue. » Tamen quod divinas non habemus, aut ra- » rius sentimus, nos in culpa sumus : quia » compunctionem cordis non quaerimus, nec » vanas et externas omnino abjicimus. » Ejusdem sententiae esse S. Ignatium, in sacris praesertim Exercitiis, liquide apparet, tum ex praesentibus regulis, tum ex Annotationibus sexta et septima.

Secunda causa, ait S. P., *ut probet nos Dominus, quantum valeamus, et quousque procedamus in ejus servitio et laude, absque tanto stipendio consolationum et magnarum gratiarum.* De divinis illis probationibus saepissime in sacris tum veteris, tum novi Testamenti Scripturis agitur : quarum finis duplex, vel purgare animam

et perficere, vel ad Dei cogitationem adducere. De priore partim infra in tertia causa aget S. P., nunc de altero disserit. Non igitur probat Deus, ut ipse noscat, qui novit omnia, sed ut intelligat ille qui probatur quantum ipse valeat. Etenim ex probatione vel victor vel victus evadet. Si primum, fortior inde factus se ad majora incitatum sentiet; sin vero alterum, humiliatus nec jam sibi blandiens diligentius se geret atque prudentius.

Ut probet nos Dominus quantum valeamus et quousque procedamus. Ubi quis a fortiore adjuvatur, non apparet quid ipse solus valeat; hoc autem innotescit statim ac fortior ille recedit. Ita quando Deus animam multis consolationibus reficit, nihil reputat sibi difficile : « suaviter enim equitat, quem gratia Dei portat, » ait Th. Kemp.; at si propriis jam pedibus debeat ambulare, res omnino mutatur, et apparet quantum per se possit ordinaria tantum gratia instructus, et quousque processerit *in Dei servitio ac laude*. Qui virtute debiles adhuc sunt, ubi recedit consolatio, exercitia spiritualia ut plurimum omittunt, atque ita mercenarii esse convincuntur, ac notam stipendiariorum, quam frontibus eorum inurit S. P. « *tanto stipendio* », mereri se exhibent. Meditentur illi verba Th. Kemp. : « Non est

» huic affectioni (consolationi) tenacius inhae-
» rendum, quae cito potest mutari in contra-
» rium. Cogita in gratia quam miser et inops
» esse soles sine gratia. Nec est in eo tantum
» spiritualis vitae profectus, cum consolatio-
» nis habueris gratiam, sed cum humiliter et
» abnegate patienterque tuleris ejus subtrac-
» tionem : ita quod tunc ab orationis studio
» non torpeas, nec reliqua opera tua ex usu
» facienda omnino dilabi permittas. » Quae ita cum praeceptis S. Ignatii consonant, ut S. P. non remissionem animi tantum removeat, sed et intentionem suadeat, quod est prosternere hostem, non tantum vincere.

Tertia causa, ait S. Fundator, *ut det nobis veram notitiam et cognitionem, qua intime sentiamus non esse ex nobis acquirere vel retinere magnam devotionem, amorem intensum, lacrymas, neque ullam aliam consolationem spiritualem, sed totum esse donum et gratiam Dei Domini nostri; et ne in alieno nidum ponamus, efferendo intellectum nostrum in aliquam superbiam, vel vanam gloriam, attribuendo nobis ipsis devotionem vel ceteras partes consolationis spiritualis.*

Cum secunda connectitur causa haec tertia, quae et de nostri ipsorum cognitione pariter tractat; sed in eo praecipue occupatur, ut maximum consolationum periculum, super-

biam et vanam complacentiam, detegat et praecaveat.

Eximiam tertiae huic causae notam subjecit R. P. Roothaan : « Notatu, ait, dignum » est, in autographo non *superbiae crimen* dici, » nec simpliciter *superbiam,* sed lenissime *ali-* » *quam superbiam :* quo intelligamus, vel levem » *aliquam* superbiam, vel exiguam aliquam » complacentiam Deo vehementer displicere, » et ob ejusmodi levem etiam complacentiam » non raro nos caelesti consolatione merito » privari. Et vero illud maxime omnium in » consolatione timendum atque cavendum, » ne evanescamus, neve securitatem capia- » mus, vanam semper et inanem; nisi in » *sola* Dei *misericordia* confidamus, eique *soli* » omnia bona nostra accepta referamus. »

Quid si attendamus diabolum in angelum lucis transfiguratum consolationibus illis immiscere se solere, easque etiam procreare, ut sive ad superbiam sive ad carnis delectationes nos sensim adducat, quod ultimum et S. Bonaventura testatur et experientia demonstrat?

De consolatione sensibili, maxime in iis qui parum in virtute probati, ad inanem fiduciam et ad jactantiam deflectunt, ait Gulielmus abbas : « Qui cum pascuntur pane

» filiorum, jam se esse filios arbitrantur, » et deficientes unde debebant proficere, ex » visitante gratia evanescunt a conscientia » sua, arbitrantes se aliquid esse, cum nihil » sint. »

Taulerus autem (Inst. 2, c. 18) haec ait : « Effectus amoris quandoque magnum ali- » quid esse videtur, ut est jubilatio, devotio, » et alia hujusmodi : sed non semper potiora » melioraque sunt, cum et sine vera possint » charitate subsistere, et natura saepe hujus- » modi saporem ac dulcedinem ministrare so- » leat : vel etiam, Deo permittente, malignus » spiritus ea in homine excitare queat, ut ali- » quo ille in pretio ab aliis habeatur. »

Veram notitiam, ait S. P., neque hoc sufficit, sed et *cognitionem* seu scientiam, quae ad intentum effectum requiritur; scilicet ut *intime sentiam,* sicque quasi non possim quidquam de divinis donis mihi attribuere, atque inde gloriari. Interroga eum qui consolatione fruitur, quis eum consoletur; respondebit equidem : Deus; sed saepius speculativa, ut ita dicam, est haec persuasio amorique proprio locum relinquit. At cesset illico consolatio, eique ariditas, fastidium, tentatio succedant, ita ut quidquid moliatur desolatus, duret augeaturve desolatio : tunc sentiet, et quidem

intime, consolationem *totam* esse donum et gratiam Dei Domini nostri.

Ne in alieno nidum ponamus. « Locutio pro-» verbialis, ait R. P. Roothaan, quam antiqua » versio *ms* sic exprimit : *ut in nulla re aliena* » *quiescamus.* — Sensus est, ne quod alienum » est, nobis ut proprium usurpemus, atque ita » securitatem capiamus ibi, ubi capienda non » est; ut qui *in aliena domo* sibi habitationem » figeret, exturbandus scilicet inde, cum do-» mino domus visum fuerit. » Huc spectant verba Apostoli : *Quid autem quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1 Cor. 4, 7)? Gloriatio spiritualis furtum est omnium gravissimum et prae ceteris omnibus Deo invidiosum. Quo enim pretiosior est res furto ablata, eo etiam furtum gravius est; qui vero dona Dei caelestia sibi attribuit, rem furatur summi pretii sibique gloriam attribuit quam *alteri non dabit* Dominus.

Regula decima

Decima : ille, ait S. P., *qui est in consolatione, cogitet quomodo se habebit in desolatione, quae postea ei supervenict, sumendo novas vires pro illo tempore.*

De modo habendi se in consolatione pauca

dicit S. P., quia eo tempore belle omnia et facile fluunt, tempore autem desolationis non ita. Duo tantum notat, quorum prius in hac regula, alterum in sequenti.

Principio innixus quod consolationi desolatio brevi succedat, hominem praemonet ut tempore pacis arma praeparet quae in ipso certamine difficillime invenientur. Ex praecedentibus igitur experimentis sibi repraesentet qualis esse soleat in desolatione, tristis, piger, tentatus et quasi ad nihil boni utilis. Recordetur quomodo ex inobservantia eorum quae in sexta regula commendantur, jacturam spiritualem fecerit, omittendo vel decurtando exercitia spiritualia, languendo in oratione, negligendo additiones, relinquendo usum poenitentiarum, confessionis, communionis, et terrenas consolationes captando, Deumque oret ne in posterum in eosdem defectus incidat.

Sumendo novas vires pro illo tempore desolationis. Certe non sufficit qualecumque propositum, seu simplex actus voluntatis; sed firmum et efficax propositum adsit necesse est. Hunc in finem cogitet serio ac perpendat : 1° rationem hujus vitae eam esse, ut tribulationes potius quam consolationes propter tot peccata habeamus; 2° sanctos omnes per multas tri-

bulationes introisse in regnum Dei, idque propterea quod accepti essent Deo, immo et eo plura passos esse quo magis a Deo diligebantur; 3° innumeras esse desolationum utilitates, modo serventur ea quae in sexta regula constituta sunt. Datur quippe major Deo gloria, virtus solidior efficitur, immensa colliguntur merita et anima purgata atque Christo conformior certiorem suam salutem reddit. Cogitet etiam 4° multa latere in consolationibus pericula, multasque illusiones; 5° indignum esse servire Deo, quando consolatio adest, torpere vero aut cessare tempore desolationis. Hoc enim esset servire non Deo, sed consolationibus Dei, ad instar mercenarii.

Si haec animum penetraverint, si et passionis Christi Jesu memoria cordi defixa fuerit, fiet quidem voluntatis propositum firmum et constans, ac de homine ita disposito dici poterit : *Similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra firmam petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere* (Luc. 6, 48).

Regula undecima

S. P. ait : *Undecima : ille qui est in consolatione, procuret humiliare sese, atque deprimere*

quantum potest, cogitando quam parum valeat tempore desolationis, sine tali illa gratia seu consolatione. E contrario cogitet ille qui est in desolatione, se posse multum cum gratia quae sufficit ad resistendum omnibus suis inimicis, sumendo vires in Creatore ac Domino suo.

In hac regula hominem in consolatione et hominem in desolatione versantem S. P., pro statu dissimili, dissimiliter admonet. Illum quippe deprimit, hunc autem erigit; occurrit videlicet periculo superbiendi in consolatione et abjiciendi animum in desolatione.

Illi qui est in consolatione regula nona ostendit S. P. Deum *saepe* desolationem immittere, ne ex consolatione homo efferat sese ac superbiat; in hoc insistit ut qui in consolatione est causam illam desolationis, humiliando seipsum, praeveniat. Plurimas equidem rationes afferre potuisset S. Fundator, quibus indignitatem et imprudentiam demonstraret illius qui, propter tam eximia et gratuita Dei dona, gloriaretur. Unam autem tantum affert, eamque efficacissimam; scilicet cogitet *quam parum valeat tempore desolationis,* cum tentationi, etsi gratia invisibili sustentus, resistere non potest. S. Patrem imitetur, qui cum divinis consolationibus diffluerent, modo se infelici arbori comparabat, quae talibus, ne caderet,

sustentaculis indigebat, modo autem squalenti statuae, cujus rubiginem aureis consolationum laminis Deus contegebat. Hinc quo magis sese deprimebat et contemnebat, eo ardentius a Deo amabatur et crescentibus divinorum donorum charismatibus abundabat.

E contrario cogitet ille qui est in desolatione etc. Non ex abrupto ad excutiendam tristitiam hominem desolatum adigit S. P., sed invitat ut principiorum rationis et fidei usu sese adjuvet; quod iterum S. P. voce *cogitet* sapienter exprimit. Quid enim his principiis christiano homini magis accommodatum et efficacius ad persuadendum?

Cum igitur *justus ex fide vivat, cogitet* ille qui est in desolatione *se posse multum cum gratia quae sufficit ad resistendum omnibus suis inimicis;* id enim ex Dei revelatione constat, siquidem *fidelis est Deus, qui,* modo invocetur, *non patietur vos tentari supra id quod potestis,* et si etiam creverit tentatio, crescet et divinum auxilium; *facietque cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Hoc fidei principium rupe fortius est et, quidquid garriat sensus, penitus inexpugnabile, modo ille qui tentatur rebelles angelos non imitetur, qui *noluerunt adjuvare se ope libertatis suae*. Hinc ei qui in desolatione

est praecipitur ne se tradat tristitiae *quae occidit multos,* sed ut ad inconcussa fidei principia confugiat.

Quis magis afflictus et desolatus fuit quam Paulus Apostolus, qui, cum unam hanc rem reformidaret, separari scilicet a Christo, in se legem membrorum ita legi divinae repugnare sentiebat ut exclamaret : *Quis me liberabit a corpore mortis hujus?* Respondit ei Jesus, quod omni homini tentato respondet : *Tibi sufficit gratia mea.* Verbo fidei innixus ac Deo confisus, non solum a perturbatione ac mortis desiderio Paulus quievit, sed et libenter, gratia confirmatus, tentationes toleravit : *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (2 Cor. 12, 7, sqq.).

Hinc sequitur eum qui desolatione premitur sibi nullatenus confidere posse, sed soli Deo. Quapropter S. P. addit : *sumendo vires in Creatore ac Domino suo.* Vae ei qui sibimetipsi confidit! *Ecce confidis super baculum arundineum confractum,.. cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit* (Is. 36, 6).

Magna, maxima res est nosse seipsum et suam imbecillitatem atque miseriam. « *Ego* » *autem vanitas,* ait Kempensis, et nihilum » ante te, inconstans homo et infirmus. » Et : « Confitebor tibi, Domine, infirmitatem

» meam. Saepe parva res est, quae me dejicit » et contristat. Propono me fortiter acturum : » sed cum modica tentatio venerit, magna » mihi angustia fit. » Propterea, sicut S. P., vires in solo Deo sumendas esse dicit : « Vide » ergo, Domine, humilitatem meam, et fragi- » litatem tibi undique notam. Miserere, et » eripe me de luto ut non infigar, nec perma- » neam dejectus usquequaque » (IMIT. 3, 20).

Ad Deum ergo recurrat qui desolatione probatur, humiliter de se sentiat et perseveret : ei profecto Deus auxilio veniet. *Oratio enim humiliantis se nubes penetrabit; et donec propinquet, non consolabitur : et non discedet donec Altissimus aspiciat* (ECCLI. 35, 21). Immo quamdiu in oratione durabit, quamvis incassum orare videatur et pati pergat, exaudietur tamen; nam Deus eum nihil sentientem sustinebit, manum ei supponet, ne labatur, ac tandem eripiet. *Cum ipso sum in tribulatione, et eripiam eum et glorificabo eum* (Ps. 90). Atque adeo certa est vis orationis hujus, ut petere et accipere quasi unum sint. Hinc ait S. P. non *petere* vires a Deo, sed *sumere vires in Creatore suo,* quasi Deus manus porrigeret ex quibus ipsi gratiam sumeremus.

Regula duodecima

In hac et in duabus ultimis regulis de perversitate et artificiis diaboli agitur deque ratione ei resistendi. Desolatio enim, sicut et tentatio, vel a Deo venit, vel a natura corrupta, vel a diabolo. Deus autem tentatione neminem unquam nisi ad bonum probat; ita tentavit Abraham, Job et Tobiam. A nobis ipsis plerumque tentamur propter naturam vel animi vel corporis. Observat Card. Bona « multa diabolo tribui quae depravatae ac » perturbatae naturae germina sunt. Corpo- » rum enim constitutio, et humores praeser- » tim melancholici, exuberatio, pravaeque » consuetudines, ac subitaneae perturbationes » gravissimas efficiunt commotiones, adeo ut » multi a malo spiritu obsessi et possessi per- » peram existimentur, qui non nisi naturali » morbo exagitantur. Idem accidit in bonis » motibus. Nam fervor aetatis aut comple- » xionis, ingenii acumen, et vehemens appre- » hensio varios affectus aliquando excitant, » lacrymas et suspiria, altissimos animi sen- » sus et cogitationes, ecstases quoque et alie- » nationes, quae cum a causis naturalibus » oriantur, ab ignaris tamen divino spiritui » adscribuntur. Instinctus naturae ab instinc-

» tu gratiae his notis dignoscitur, quas auctor » lib. de Imit. Christi (l. 3, c. 54) fusius pro- » sequitur. Illud autem maxime notandum, » quod fervor procedens ex naturali tempera- » mento, gravi aliqua difficultate superve- » niente, statim languet et evanescit; at qui » ex Deo provenit, superato omni impedi- » mento, ex periculis vires, et ex adversitati- » bus incrementum sumit. »

Tertio tandem desolationes veniunt a diabolo, atque de iis hic agit S. P. Et in hac quidem regula, per lepidam simul et exactissimam comparationem, impotentia simul et pessima diaboli voluntas innotescit. Duae autem ejus artes solitae deteguntur, quarum prior est os tentato claudere, altera vero partem nostri imbecilliorem indagare, ut in eam machinas suas adhibeat.

Et primo quidem in duodecima regula diaboli indoles a S. P. definitur. Porro duo aeque periculosa, cum nos impugnat diabolus, praecavenda sunt : formido mentis et animi ignavia. Utrique periculo occurrit S. P. detegendo hinc diaboli ad vincendum voluntatem impotentiam, illinc ejus malignitatem, odium, rabiem, atque ad nocendum audaciam. Quae per comparationem diabolum inter et feminam malam praeclare ostendit.

Inimicus, ait, *exhibet se* ut femina, in quantum ipse est *debilis quoad vires* (neque enim tota daemonum cohors humanam potest cogere voluntatem ac libertatem) *et fortis quoad voluntatem* (vult scilicet, sed non potest), *malitiam et rabiem. Nam sicut proprium est feminae, dum rixatur cum aliquo viro, perdere animum, capiendo fugam, quando ei homo audenter resistit; et e contrario, si vir incipit fugere perdendo animum, ira, vindicta et ferocia feminae est valde magna et adeo sine mensura.*

His verbis magnum vult S. P. nobis incutere pudorem, quemadmodum fecit in meditatione de Regno Christi : *Si quis non acceptaret petitionem talis regis, quantopere dignus esset qui vituperaretur ab universo mundo, et ignavus haberetur eques.* A fortiori ignavus haberetur vir ille et ab omnibus irrideretur, qui, coram debili et iracunda muliercula, animum perderet ac inciperet fugere.

Eodem modo proprium est inimici nostri viribus destitui et animum perdere (in fugam vertentibus se tentationibus ejus) quando ille qui se exercet in rebus spiritualibus, audacter se exponit (non quod quaerat tentationes aut earum occasiones, sed quia eas sibi occurrentes impavidus excipit) *tentationibus inimici, faciendo oppositum e diametro (id est, contrarium omnino ei, quod ipse per*

tentationes suas praetendit). Ideo haec praebet documenta S. P. ut duo tentationum pericula evanescant, pusillanimitas videlicet ex hac parte, ex altera vero desidia et inconstantia. Eadem in quinta regula praescribuntur his verbis : *Tempore desolationis... standum* FIRMITER ET CONSTANTER *in propositis,* etc.; *firmiter,* contra pusillanimitatem, quia debilis est diabolus, immo et debilior ipsa muliercula, nec magis per se nocere potest quam milites illi, qui, oculis rabie ardentibus et stricto immaniter gladio, in tabula depinguntur. *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (JAC. 4, 7). Standum igitur FIRMITER; stare autem non sufficit, *audacter* est agendum, scilicet CONSTANTER, ut in quinta regula dicitur, neque constanter tantum, sed agendum contra et e *diametro.*

Cum autem dicit S. P. : AUDACTER *se exponit,* multum abest ut ea voce jactantiam suadeat; humilis e contra sit et humillime de se sentiat oportet, qui tentatur, si a Deo adjuvari velit et vincere. Quam igitur audaciam intelligit S. Ignatius? Audaciam nempe quae, divinae fiduciae innixa, opera facit quae audentium propria sunt : *faciendo oppositum e diametro.* Iterum redit ad illud S. Pater : *agere contra,* per quod non vincitur solum, sed et prosternitur inimicus, ruboreque suffusus

turpiter aufugit. *Diabolo resistite, et fugiet a vobis.*

Qui igitur non obstante tentatione, constans est, immo etiam proficere in exercitiis spiritualibus conatur, tantam daemoni formidinem incutit, ut eum in fugam vertat; dum contra, si abjectis animo et armis, tremere, contristari atque per negligentiam in rebus spiritualibus quasi fugam meditari incipiat, non jam feminae perversae furorem, sed bestiae omnium efferatissimae experietur immanitatem. *Et e contrario,* ait S. P., *si qui se exercet incipit timere, et perdere animum in patiendis tentationibus, non est bestia adeo efferata super faciem terrae, ut est inimicus humanae naturae in prosecutione suae perversae intentionis, cum adeo magna malitia.*

Firmitatis et constantiae in desolatione exemplo sint S. Ignatius ipse, qui per multos dies incredibilem daemonis impugnationem viriliter Manresae sustinuit, et maxime S. Alphonsus Rodericius, qui per septem continuos annos passus est horribiles et inauditas tentationes omnis generis contra virtutem angelicam, quasi agonizans semper et semper victor.

Regula decima tertia

Haec regula manifestandas esse docet tentationes vel confessario, vel patri spirituali, vel superiori. Quae manifestatio tanti apud S. P. momenti fuit, ut eam filiis suis, tanquam unam ex praecipuis ac essentialibus sui Instituti praescriptionibus, imposuerit.

Juvabit hic quaedam ex c. 9 Industr. excerpisse : « Sciat nullo alio vitio ita aperiri » ostium satanae, qui est spiritus tenebrarum, » qui cum ejusmodi anima pro suo arbitratu » sine ullo interpellatore libere agit, et multa » facile persuadet; nec ullo alio vitio ita re» mediis omnibus occludi aditum : quare se» ipsum aperiendo, tentationes facile vincet, » quibus tacendo succumbet. »

« Si nihil aliud, ratio ipsa qua tacetur ma» la est et suspecta. Aut enim superbia pro» hibet, ne defectu manifestato vilior repute» tur; aut negligit manifestare se, quia putat » sine ullo duce suam sibi prudentiam suffi» cere, quod etiam arrogantiae et superbiae » est; aut humano aliquo fine sibi proposito » veretur, ne haec manifestatio sibi ad eum » consequendum impedimento sit. Denique, » si mediocriter se examinet, inveniet statim » radicem hujus rei non bonam. »

« Instruendus est, non solum hoc nomine » non futurum eum Superiori minus carum, » immo contra multo cariorem : nam non » modo actus ipse manifestationis virtutis est, » sed humilitas, quam hoc facto ille ostendit, » desiderium curationis, fiducia cum Supe- » riore, spes ipsa sanitatis, nescio quo, sed » miro tamen modo longe amabiliorem red- » dunt Superiori, quam ipse defectus opinio- » nem minuat : cum praesertim culpa in eo, » qui se candide manifestat et juvari deside- » rat, non tam ut culpa, quam ut infirmitas (quae compassionem magis movet quam in- dignationem) a Superiore spectetur. »

His dictis, duo notemus; et primo quidem vix non omnes qui a Societate discedunt, ideo naufragium fecisse, quia ab initio tentationis hanc salutis anchoram abjecerunt; secundo, regulam de manifestandis tentationibus, non juniores tantum nostros spectare, sed omnes, cujuscumque aetatis sint aut gradus. Ait enim regula 41 : « Nullam debent celare tentatio- » nem, quam Praefecto rerum spiritualium, » vel confessario, vel Superiori non aperiant; » immo vero totam animam suam illis integre » manifestam esse, pergratum habeant, etc. » Nullus enim gradus est, aetas nulla, cui dae- mon, caro et mundus non moliantur insidias.

Qui vero, utpote aetate provecti, hanc regulam negligunt, in defectibus ac vitiis senescunt in purgatorio tantum emendandis.

Ad regulam discretionis jam veniamus, quae per se est clarissima.

Decima tertia : sic etiam se gerit, ut vanus (falsus, quia non alterum, sed se fraudulenter diligit) *amator, in quantum vult esse secretus et non detegi.* Nam sicut talis homo vanus, qui loquens ad malum finem allicit (sollicitat) filiam aliquam *alicujus boni patris, vel uxorem boni mariti, vult ut verba sua et suasiones sint secretae; et contra displicet ei summopere, quando filia patri, vel uxor marito detegit vana ejus verba et intentionem pravam; quia facile colligit, fore ut non possit rem inceptam ad finem perducere; eodem modo, quando inimicus naturae humanae ingerit animae justae suas fraudes et suasiones, vult ac desiderat, ut recipiantur et teneantur in secreto; sed quando (illa) eas detegit suo* bono *confessario, vel alteri personae* spirituali, *quae cognoscat suas fraudes ac malitias, valde ei displicet : quia (hinc) infert fore ut non possit malitiam suam, quam inchoarat, perficere, cum detectae sint fraudes suae manifestae.*

Non in apertis solum tentationibus, sed et in iis quae diaboli tentationes non videntur, manifestatio illa necessaria est. Satan enim

nonnunquam aliquem ad virtutem hortatur, sed eum mox importunis suggestionibus adversus illam excitat, multas difficultates objiciens, ut abjecta omni spe eam consequendi, otio se tradat, et de sua salute diffidat. Sic evenit, ut ipsamet narrat, B. Catharinae Bononiensi, cui multoties daemon in forma Christi crucifixi apparuit, caecam et promptam illi obedientiam valde commendans; subinde autem, specie majoris boni, plurima judicia contra praeceptum Superioris, variasque tricas suggerebat. Illa vero a spiritu bono haec venire credens, in multos errores incidisset, nisi sui diffidentia suarumque cogitationum Superiori facta manifestatione periculum evasisset.

Regula decima quarta

Decima quarta : sic etiam (gerit se) ut belli dux, ad vincendum ac depraedandum id quod desiderat. Nam sicut belli dux et caput exercitus castra ponendo et explorando vires ac dispositionem arcis alicujus, eam impugnat ex parte debiliori, eodem modo, inimicus humanae naturae circumiens explorat omni ex parte virtutes omnes nostras theologicas, cardinales et morales; et qua parte nos reperit debiliores, et egentiores pro nostra

aeterna salute, ea parte nos impugnat, et procurat nos expugnare.

Haec comparatio non solum stratagema diaboli declarat, sed et ad salutiferum terrorem excitandum est aptissima. Non enim concedit iste adversarius inducias, aut petenti pacem annuit, sed quo magis aliquem ad extremas videt redactum angustias, eo magis urget, vulnera vulneribus addit, ad completam usque, si potest, internecionem. Non aliter belluam infernalem describit S. Petrus : *adversarius vester tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.*

Explorat omni ex parte : animam ipsam ejusque cogitationes videre non potest; solius enim Dei est animam ingredi, ex ea egredi : ideoque solus *intuetur cor.* Sed sive ex commissis ante peccatis, sive ex tota agendi ratione, spiritus ille subtilissimus et magna experientia edoctus facile conjicit quae fortiores, quae debiliores sint animae partes. Sic homini a malis voluptatibus ad virtutem converso tum antiquarum voluptatum memoriam suggerit, tum difficultate certaminis eum deterret, tum, si semel decidit, in tristitiam et emendationis desperationem propellit, ut a vitae melioris proposito desistat. Viros autem jam spirituales et zelo succensos a propria

perfectione et a vero bono animarum alia ratione solet avertere. Persuadet enim illis ut, solidis virtutibus intenti, minima jam negligant; variis occupationibus propriae vocationi haud consentaneis eos opprimit, et sui immemores in alienis rebus detinet. Diserte hanc rem tractavit S. Leo Magnus : « Non desinit » hostis antiquus, ait, deceptionum laqueos » ubique praetendere. Novit cui adhibeat aes- » tus cupiditatis, cui illecebras gulae ingerat, » cui apponat incitamenta luxuriae, cui infun- » dat virus invidiae. Novit quem moerore » conturbet, quem gaudio fallat, quem metu » opprimat, quem admiratione seducat. Om- » nium discutit consuetudines, ventilat curas, » scrutatur affectus : et ibi causas quaerit » nocendi, ubi quemque viderit studiosius oc- » cupari (Serm. 7 de Nat.). »

« Sic quippe (ait S. Greg.) superbiae facem » menti Evae supposuit, cum hanc ad con- » temnenda verba dominicae jussionis insti- » gavit. Invidiae flamma Caïn animum suc- » cendit, cum de accepto sacrificio fratris » doluit, et per hoc usque ad fratricidii faci- » nus pervenit. Luxuriae facibus cor Salomo- » nis exussit, quem tanto amore mulieribus » subdidit, ut usque ad idolorum veneratio- » nem deductus, dum carnis delectationem

» sequeretur, Conditoris reverentiae oblivis-
» ceretur. Avaritiae igne Achab animum con-
» cremavit, cum eum ad appetendum alienam
» vineam impatientibus desideriis impulit, et
» per hoc usque ad reatum homicidii pertra-
» xit. (Lib. III, mor. c. ult.).

In Societate nostra non defuere homines, quos vel ad ambitionem propensos diabolus superbia replevit, vel mollius sibi indulgentes in carnis desideria sensim adduxit atque apostatas effecit. Fuere et plurimi quos diabolus meditationis negligentia perdidit, ac praesertim aversione ab aperiendis tentationibus.

Quot tandem religiosos amori proprio servientes a perfectione et sanctitate ad mortem usque diabolus avertit, efficiendo ut in omnibus vel vanitatem, vel gulam, vel propriam satisfactionem sectentur, neve fere unquam puram Dei gloriam intendant; de quorum actionibus non immerito dici potest : *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum* (Sap. 3, 11).

Regulae

ad eumdem effectum cum majori discretione spirituum, et conducunt magis pro secunda hebdomada

De eo exercitante agens S. P. in nona Annotatione, qui in rebus spiritualibus non est versatus, aut tentatur crasse et aperte, ait : *Qui dat Exercitia non ei tradat Regulas de diversis spiritibus (quae sunt) secundae hebdomadae : quia quantum ei proderunt Regulae primae hebdomadae, (tantum) ei nocebunt quae sunt secundae; eo quod materia subtilior sit ac sublimior, quam ut ille possit intelligere.*

Ut igitur exercitanti regulae secundae hebdomadae tradi possint, duo a S. P. requiruntur : 1. *Ut sit versatus in rebus spiritualibus :* et hic quidem multo minus de ipsa scientia agitur, quam de experientia et praxi vitae spiritualis. Potest enim aliquis theologiae, philosophiae ac litterarum penitus ignarus, per internam Spiritus Sancti illuminationem et orationis ac virtutum exercitationem multo magis esse in rebus spiritualibus versa tus, quam doctor theologiae minus in praxi vitae spiritualis exercitatus. Exemplo sint sanctus noster Alphonsus et plures fratres

coadjutores, quos pii ceteroquin et doctissimi Theologi de recondita vitae spiritualis scientia consulebant, et imprimis S. P. ipse qui hanc totam scientiam in specu manresano accepit. Huc et maxime accedit, ut infra videbimus, quod regulae istae *ad majorem discretionem* dispositae, non viam solum contemplationis ordinariam, sed et extraordinariam demonstrant, ideoque ab iis qui in rebus spiritualibus non sunt versati, nequaquam *possunt intelligi*. 2. Requiritur *ut in via divini famulatus animose procedat*. Qui enim ita animo comparatus est, ut non solum peccata devitet, sed et omnes castiget inordinatos affectus, eum aperte ad malum impellere diabolus jam non audebit, aut si tentaverit, spe faciet non decipiendi, sed perturbandi potius ac retardandi : quod Deus haud raro permittit. Is est cui regulae istae conveniunt. Tales igitur exercitantes solet inimicus sub specie boni tentare, ut sic decepti, sensim in obliqua per omnigenas fallacias aversi, ad perversa tandem deveniant. Iis contra subtilius hoc pugnae genus regulas pro secunda hebdomada paravit S. Fundator. Hi enim, cum magnis quandoque consolationibus perfruantur, quibus sese non raro furtim immiscet diabolus, cumque in rebus supernaturalibus propter

suam inscitiam periculis saepe objiciantur, subtilioribus regulis, ne seducantur, indigent.

Qui vero nondum fortiter in divino servitio progrediuntur, qui *crasse* adhuc et *aperte* tentari possunt, qui *laborem* reformidant, qui vanitati serviunt et onera sanctitatis timent : nec ad eos regulae secundae hebdomadae pertinent, nec ab iis, *quia materia subtilior est et sublimior,* possunt intelligi. Etenim si nondum in bono faciendo toti occupantur, non erit quod sub specie boni diabolus eos sollicitet; neque iis regulis indigebunt, quae ad vincendas tentationes sub specie boni sunt exaratae.

Aliunde materia *sublimior* est, qua non viam solum ordinariam supernaturalem complectatur, sed et extraordinariam, eamque qua ad summos devenitur altissimae etiam contemplationis apices. Quamvis enim S. P. nec visiones, nec apparitiones, nec divinas locutiones, nec ecstases ac raptus hoc in loco commemoret, documenta tamen cum admirabili simplicitate et claritate subministrat, quae in his discernendis necessaria sunt; idque tam complete, ut vix non omnia quae in Auctoribus Theologiae mysticae leguntur ad ea facillime reduci valeant. Quod vero S. P. vias illas sibi per experientiam notissimas respexerit, id ex regularum studio patebit. Cur autem has vias

non nominaverit, et communi voce consolationis sit complexus, non una ratio est. Et *primo* quidem, quia non omnes, sed paucissimi ad tantas gratias a Deo evehuntur; *secundo,* quia extraordinaria illa dona nec ipse optabat, nec a quoquam optanda existimabat, propter superbiae spiritualis periculum; *tertio*, quia noverat ibi multos errores subesse posse; quapropter donis illis exercitium humilitatis et mortificationis praeponebat; *quarto* tandem, quia ea erat ejus humilitas, ut ne innuere quidem voluerit se tantarum gratiarum experientiam habere. His praemissis, ad ipsas regulas veniamus.

Prima regula

Prima : proprium est Dei et Angelorum ejus, in suis motionibus dare veram laetitiam, et gaudium spirituale, removendo omnem tristitiam et turbationem, quam inimicus inducit; cujus proprium est militare contra ejusmodi laetitiam et consolationem spiritualem, adducendo rationes apparentes, subtilitates, et perpetuas fallacias.

Quae solius Dei propria sunt, in secunda et octava regula; quae et Deo et Angelis communia sunt, in hac et in ceteris aguntur.

Proprium est : nam etiamsi Deus per sacrum

horrorem incipiat, et spiritus nequam per quamdam laetitiam, mox tamen ille desinit in laetitiam, hic vero in tristitiam. Accidit enim quandoque ut tum divina, tum angelica praesentia, propter ipsam rei magnitudinem, pavorem primum inspiret; sed brevi succedit timori pax dulcissima. Sic initio apparitionis *timor irruit super Zachariam,* sed Angelus illico timorem excussit : *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Maria quoque *turbata est in sermone,* sed continuo Angelus ei dixit : *Noli timere, Maria.* Pastores autem claritate Dei circumdati *timuerunt timore magno,* quos statim Angelus exhilaravit : *Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum.*

Hinc S. P. propria experientia edoctus dicit : *veram laetitiam et gaudium spirituale,* utrumque scilicet simul, ita ut haec vocabula *vera* et *spirituale* tum gaudio, qui sensus est cordis, tum laetitiae, quae interni gaudii manifestatio est, pariter conveniant. Vera est consolatio, quae supernaturalibus rationibus innititur; spiritualis vero, quae ad Dei verum amorem et propriam abnegationem accendit. Triplex est autem consolationum genus. Aliae sensus solos afficiunt; aliae in solam mentem cadunt, et intellectuales vocantur; aliae mix-

tae sunt : mente scilicet redundant in corpus, juxta illud sacrae scripturae : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Mente autem ac spiritu exsultabat B. Virgo quae cecinit : *Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Consolatio quae solam mentem afficit est omnium tutissima, quia, ut in 2da reg. ostendetur, nec à malo, nec a bono Angelo, sed proxime a Deo venit; et iis qui in virtutibus egregie profecerunt reservatur.

Secundo, consolatio spiritualis simul et sensibilis a solo Deo pariter provenit, quia solius Dei est ad intimam mentem illabi; quia etiam ab anima quam Deus illuminat et movet, consolatio, in principio saltem, cum sensibus communicatur. Verum ut in octava regula dicit S. P., sicut aqua purissimo e fonte exorta puritatem suam defluendo amittit, ita et divina illa consolatio, dum decurrit ad sensus, a maligno spiritu potest contaminari, atque iisdem periculis esse obnoxia, quibus consolatio mere sensibilis, de qua nunc agendum.

Tertio, consolatio mere sensibilis. Haec, ubi divina est, incipientibus maxime et imperfectis a Deo conceditur, ut divino servitio se addicant et ab amore hujus saeculi hac quasi mercede avocentur. Sunt enim isti ve-

lut infantes in via spiritus, et lacte adhuc indigent; ubi autem adoleverint, utentur solidiore cibo. Utilissimum tamen et grato cum animo recipiendum est illud Dei donum, quamvis per se neque efficiat, neque denotet ullo modo sanctitatem.

Immo consolatio illa, ubi praesertim abundat, multis subjacet periculis. Qui enim ita inebriantur saepius, vel in vanam gloriam incidunt, vel in quandam intemperantiam qua seipsos ultra vires externis poenitentiis excruciant, vel ad ea voto se obligant quae implere non poterunt, vel tandem a diabolo decipiuntur, qui et ipse sensibiles illas motiones ad malum finem non raro detorquet.

Audiant igitur isti D. Bonaventurae consilium (de proc. relig. 7, 21) : « Mel invenisti, » comede quantum sufficit. Utile enim est, ad » horam habere temperantius gratiam devo- » tionis, quam omnino exhaustis viribus et » destructa vita naturali totaliter eam perdere, » et irrecuperabiliter ea carere : quia sic des- » tructi postea nimis incipiunt sibimet com- » pati, et ut recuperent vires amissas per in- » discretionem, non solum delicatius, sed » etiam dissolutius se habere. »

« O quam frequenter, exclamat Richardus » (in Cant. c. 33), imperfecti et ignari gratiae

» moventur carnali gaudio, vel naturali ala-
» critate, et moveri se arbitrantur spirituali
» consolatione! »

Atque illud periculum multo latius patet quam dici potest. Omnibus enim malignorum spirituum illusionibus suavitates ejusmodi subjectae sunt. Hinc fanaticorum aliorumque haereticorum flagitia ac turpitudines; hinc et recenter conversorum atque incipientium voluptatibus antea mancipatorum deflendus relapsus : adeo facilis est a spiritu ad carnem transitus. Qua de re disserens S. Bonaventura ait : « De his vero, qui cum aliquando
» dulcedinem spiritualem sentiunt, continuo
» etiam carnis delectationis pruritu illecti
» foedantur, nescio quid judicem, nisi quod
» potius eligo illis carere floribus, quos de
» luti sordibus legere deberem. Et sicut illos
» damnare non audeo, qui inviti quandoque
» in hujusmodi spiritualibus affectionibus car-
» nalis fluxus liquore maculantur; ita excu-
» sare eos nescio, qui tali fluxu ex consensu
» delectantur, qualiscumque eorum intentio
» videatur (de proc. rel. 7, 18). »

Hinc apparet cur S. P. *veram* laetitiam et gaudium *spirituale* requirat, cur praeterea nec illas, nec ullas alias in genere consolationes esse aut petendas aut exoptandas censeret.

S. Alphonsus noster solebat consolationibus obsistere, easque reformidans dictitabat actum unum sive humilitatis sive mortificationis illis permulto esse potiorem.

Ergo divinarum motionum argumentum in iis qui intense procedunt in divino servitio, *pax* illa est, *quae,* juxta Apostolum, *exsuperat omnem sensum,* quam et Christus suis Apostolis reliquit : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; Pax vobis;* quae unum est ex donis Spiritus Sancti : *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax* (GAL. 5, 22); quam et Angeli, nato Christo Domino, annuntiarunt : *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Est non illa tantum pax et tranquillitas, sed et laetitia, quam filiolis suis libenter immittit.

Inde sequitur omne illud quod in viris Deo devotis pacem perturbat, non esse a Deo, sed ab ejus et nostro inimico, nempe a diabolo, qui pater mendacii est et homicida ab initio; et consequenter, si practice regulas discretionis spirituum sequi velimus, ab ipso exordio, sine examine et ratiocinatione, esse rejiciendum. *Non in commotione Dominus.*

Quantum juvat spiritualis laetitia, tantum nocet ac quandoque perimit tristitia. Tristitiam enim pro laetitia suggerere solet inimi-

cus : *Cujus proprium est,* ait S. P., *militare* (quasi laetitia spiritualis esset omni ope atque opera diabolo debellanda) *contra ejusmodi laetitiam et consolationem spiritualem.*

Hostis infernalis insidias sic describit R. P. Roothaan : « Laetitia spiritualis, cum sit ad » animae profectum utilissima, nil mirum si » daemon hanc laetitiam impugnare, animam- » que Deo deditam turbare quibuscumque » possit artibus conetur. Inimicus enim cum » sit, animam quam *ad malum pertrahere* se » tam facile posse non sperat, saltem *impedire* » *a profectu,* vel saltem *vexare* et affligere ten- » tat; proque odio isto suo etiam *vexare* im- » primis contentus est, non sine spe impe- » diendi hac ratione majus bonum, ac tandem » etiam *pertrahendi* animam ad malum. »

Quas autem machinas diabolus adhibet ut amicos Dei perturbet ac contristetur? Innumerabiles illae sunt, quas omnes tribus vocibus S. Fundator complectitur : *adducendo* (ad mentem potest illas adducere, non autem in mente quae ipsi clausa est sistere) *rationes apparentes, subtilitates, et perpetuas fallacias.*

Rationes apparentes. Evam eo diabolus adduxit, ut ei persuaderet sua interesse praecepti rationes examinare; S. Ignatium, ut de

valore confessionum dubitaret et inde pacem amitteret; S. Alphonsum nostrum, ut de divina bonitate quoad salutem animarum anceps haereret; multos alios, ut contra fidem per apparentes rationes dubitarent. Omnibus fere tempore orationis illudit, sive per intempestivas cogitationes ad zelum, ad predicationem, ad officium spectantes, sive per multas alias distractiones mentem a contemplatione avertendo. Quot religiosi, decepti desiderio severiorem ordinem amplectendi, statu religioso excesserunt!

Avet quam maxime inimicus eos qui conservandae, etiam in minimis, puritati conscientiae student, omnibus *subtilitatibus* impedire, et eos maxime qui et ipsi subtilis sunt ingenii, ut minutius omnia scrutantes, ad extremam descendant anxietatem. Qui cum eo ratiocinatur vincere non potest : in oratione et obedientia salus.

Per perpetuas fallacias diabolus agit, qui *in veritate non stetit* nec nos in ea stare vult.

De falsis in via ordinaria a daemone immissis consolationibus jam diximus; multo autem magis sunt formidandae ejus illusiones quae ad vias extraordinarias pertinere videntur. Hinc legimus illustrissimos Sanctos, quales fuere S. Teresia et S. Alphonsus noster,

gratias illas supernaturales pertimuisse, ne per eas a diabolo deciperentur.

Neque re ipsa de illis sanctis dici potest quod insipienter *trepidaverint, ubi non erat timor*. Novimus S. Catharinae Bononiensi diabolum sub specie Christi et sanctissimae Matris ejus apparuisse, eamque haud multum abfuisse, nisi Directorem consuluisset, quin teterrimum illum inferni monstrum adoraret. Si tanti illi Sancti vel decipi potuere, vel posse se decipi arbitrati sunt, num ceteri, incipientes praesertim, se securos existimabunt?

Et hic quidem duo extrema aeque vitanda sunt : nimia credulitas et negatio quasi a priori. *Qui credit cito, levis est corde* (Eccli 19, 4). At multo magis vituperandi sunt qui res divinas, ut ait Card. Bona, eadem mensura, qua humanas, metientes, adeo angustos omnipotenti Deo terminos ponunt, ut id ab eo fieri negent, quod ipsi non capiunt.

Sit igitur qui regit animas prudentissimus et vigilantissimus. Multae enim visiones et ecstases falsae sunt, quae vel a mentis ardore vel a debilitate cerebri, vel a diuturna ac vivaci animi in unum intentione, vel tandem, et de iis hic agitur, ab interventu diaboli proveniunt.

Juxta communem Patrum, et S. Augustini praecipue, assentiente S. Thoma, sententiam, et ex permultis factis quae sana ratio in dubium revocare non potest, constat daemones vi naturae suae angelicae posse, ubi Dei accedit licentia, apparere alicui et voces qualicumque modo exprimere : quod sensere et eremita S. Antonius, et S. Ignatius, et S. Alphonsus saepissime, semel saltem S. Stanislaus et illi patres nostri residentiae Lauretanae, quos S. Fundator oratione et litteris liberavit.

Cujus autem naturae apparitiones illae sint nemo hucusque, nec ipse S. Augustinus, nec ceteri Patres, nec ipse S. Thomas ausi sunt definire. Constat quidem spiritus illos angelicos naturaliter in partem nostram inferiorem, ope sensuum, ita agere posse, ut phantasmata in imaginatione effingant, quibus mentem et voluntatem ad malum sollicitent; ipsam vero voluntatem et mentem intime movere nullatenus possunt, ut videbitur in sequenti regula. Alias verum sibi corpus assumunt sive bestiae, sive monstri cujusdam, sive etiam hominis mortui : haec proprie dicta apparitio est. Possunt etiam, licet oculis non videantur, vel interius vel exterius audiri.

Secunda regula

Secunda : Solius est Dei Domini nostri dare consolationem animae sine causa praecedente; quia proprium est Creatoris (animam) intrare, egredi, facere motionem in illa; trahendo illam totam in amorem suae divinae Majestatis. Dico : sine causa, (id est) sine ullo praevio sensu, vel cognitione alicujus objecti, ex quo illa talis consolatio adveniat (animae) per ejus proprios actus intellectus et voluntatis.

In tertia regula discretionis pro prima hebdomada tres species consolationis enumeravit S. P., quarum prima et ordine et dignitate et vi consolatoria est divini amoris inflammatio. *Voco consolationem, quando in anima excitatur motio aliqua interior, qua inflammari incipit anima in amore sui Creatoris ac Domini; et consequenter, quando (anima) nullam rem creatam super faciem terrae amare potest in seipsa, sed (solummodo) in Creatore omnium illarum.* Porro de hac consolatione in praesenti regula agitur. *Motio* autem *interior,* qua incipit anima inflammari, potest vel propria operatione cum Dei gratia, vel per angelos vel per Deum ipsum excitari. De motione per angelos dicetur in sequenti tertia regula; in praesenti autem de sola ipsius Dei motione quaestio est.

Et *primo* quidem per propriam operationem intellectus et voluntatis excitari potest consolatio : v. g. imaginatione stabulum bethleemiticum ingredior; considero hinc infinitam pueruli nati dignitatem, illinc stabuli praesepisque paupertatem et vilitatem; inde in amorem Jesu per divinam gratiam moveor, et cum intimo ac dulcissimo gaudio eum incipio contemplari. Consolatio haec, cujus causae sunt lumen et unctio Spiritus Sancti atque mea operatio, est consolatio ordinaria.

Secundo : excitari potest sive ordinaria, sive extraordinaria consolatio per ministerium angelorum : hoc quippe ministerio, plerumque etiam in apparitionibus, revelationibus, locutionibus utitur Ille, qui disponit omnia suaviter, infima per media, media per summa, suos ad fines cuncta perducens.

Certum est enim 1. angelos, via sive ordinaria, sive extraordinaria, homines movere atque instruere; 2. nec angelum, nec aliam quamcumque creaturam posse animam hominis *ingredi* et *egredi,* ac proinde eam intus illuminare ac movere; solius enim Dei est in intimis animae penetralibus adesse et agere. Quamvis enim angelus possit movere voluntatem proponendo objectum, concitando passiones, suasionibus alliciendo, verbo, *praece-*

dente causa; non tamen potest ita intime atque efficaciter agere ut lumen recipi debeat et voluntas etiam invita trahatur : hoc soli Deo, soli Creatori ac Domino competit. S. Augustinum (conc. 18, in Ps. 118) de hac re audiamus : « Deus per seipsum, quia lux est, » illuminat pias mentes, ut ea quae divina » dicuntur vel ostenduntur intelligant. Sed si » ad hoc ministro utitur angelo, potest qui- » dem aliquid agere angelus in mente homi- » nis, *ut capiat lucem Dei* et per hanc intelli- » gat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, » et quasi, ut ita dicam, intellectuare homi- » nem, quemadmodum quisquam dicitur lu- » cem dare domui, vel illuminare domum, » cui fenestram facit : cum eam non sua luce » penetret et illustret, sed tantummodo adi- » tum quo penetretur atque illustretur, ape- » riat. » Partes autem tum Dei, tum angeli idem Doctor ita definit : « Deus hominis » mentem rationabilem atque intellectualem » fecit, quae posset capere lumen ejus, et an- » gelum talem fecit, qui operari posset aliquid » unde ad capiendum lumen Dei mens adju- » varetur humana, et eamdem adjuvat men- » tem, ut angelicam recipiat motionem. »

Tertio : tertius igitur fons consolationis quam accipit anima est solus ipse Deus, abs-

que ulla re media aut praecedente causa. Causae praecedentes sunt, ut vidimus, vel propria operatio, ac praevius sensus, vel angelica interventio; angelis autem accensendi sunt verbi Dei praedicatores, exhortatores, libri sacri aut spirituales et exempla piorum.

Solius autem est Dei Domini nostri dare consolationem animae sine causa praecedente. Accedere quidem ad animam possunt angeli, intrare autem in illam, aut in ea quodvis dominium exercere nullatenus possunt; hoc ille solus potest qui solus *Dominus* animae est, quia solus *Creator* est. « Solius Trinitatis est, ait » auctor libri de spiritu et anima, intrare et » implere naturam sive substantiam, quam » creavit. »

S. Bernardus in Cant., ait : « Illud scitote, » nullum creatorum spirituum per se nostris » mentibus applicari, ut videlicet, nullo me- » diante nostri suive corporis instrumento, ita » nobis immisceatur vel infundatur, quo ejus » participatione docti sive doctiores, vel boni » sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, » nulla animarum hoc modo mihi capabilis » est, nullius ego capax. Nec ipsi angeli ita » se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde » praerogativa haec summo ac incircumscripto » Spiritui, qui solus, cum docet Angelum

» sive hominem scientiam, instrumentum non » quaerit nostrae corporeae auris, sicut nec » sibi oris. Per se infunditur, per se innotes- » cit, purus capitur a puris. » Quam bene cum istis quadrat, apud S. Teresiam, anima sub specie crystalli repraesentata, in cujus centro Deus habitat, et sua se luce, si puritas adsit, manifestat!

« Quod si dicas, ait S. Bernardus (L. 5, de » consid. c. 5), posse inesse et angelum, non » inficior. Memini scriptum : *Et angelus qui* » *loquebatur in me*. Atqui differentia et in hoc. » Inest angelus suggerens bona, non inge- » rens; inest hortans ad bonum, non bonum » creans. Deus sic inest, ut afficiat, ut infun- » dat; vel potius, ut infundatur et participe- » tur. Angelus cum anima, Deus in anima. » Ille ut contubernalis animae inest, Deus ut » vita. »

Concludamus verbis Doctoris angelici : « Angelus, inquit, cum ubi non est, operari non possit, non imprimit intellectui, quasi interius aliquid in ipso agens, sed solum ex parte objecti, in quantum aliquid intelligibile proponit, quo intellectus noster confortatur et convincitur ad assensum. »

Itaque si hanc secundam regulam applicare volueris consolationibus viae extraordi-

nariae, quae, ut diximus, quatuordecim habet gradus, tibi distinguendum erit. In undecim prioribus poterit inesse illusio, quia in iis consolatio causam habet praecedentem. Illusioni autem patere non possunt tres ultimi, quos certe S. P., licet eos non nominet, maxime in hac regula spectavit, quique ipsi per propriam experientiam erant omnino familiares.

Quod vero in interna illa Dei actione, quae his gradibus communis est, illusioni locus esse non possit, id patet ex duplici, eaque divina et ineluctabili certitudine, vel potius evidentia, nempe quod Deus ita se declarat, ut anima neque de ejus praesentia neque de re revelata ullatenus dubitare possit. Haec quidem in se experta S. Teresia sic loquitur : « Diebus quibus quieta sum ac mente in Deum » fixa, quamvis in unum coirent quotquot » sunt litterati et sancti, meque omni tormen- » torum genere afficerent, nunquam induci » potero ut credam daemonem auctorem reve- » lationum mearum esse, neque possem id » credere, etsi maxime id vellem. » Attamen hoc addit obedientissima : « Tametsi certo » credam hujusmodi visiones a Deo esse, ni- » hil tamen omnino agerem, nisi eorum jussu, » qui mei curam habent. » (Apud Rib. l. 4, c. 26).

Tertia regula

Tertia : cum (s. praecedente) causa potest consolari animam *aeque Angelus bonus ac malus, ad fines (tamen) contrarios : bonus Angelus ad profectum animae, ut crescat et ascendat de bono ad melius; et malus Angelus, ad contrarium et ultra, ut trahat illam ad perversam suam intentionem et malitiam.*

Quaedam primo dicenda ad litteralem sensum assequendum utilia.

Aeque, non qualitatem et quantitatem consolationis exprimit, sed simpliciter dicit quod sicut a bono, ita et a malo spiritu possit provenire. — Verba *ut crescat et ascendat,* sicut et *ut trahat,* indicant hic iterum, ut in omnibus hujus hebdomadae regulis, de homine agi qui intense in divino servitio procedit, quique, ut a bono recedat, trahi debet et decipi. — *Ad contrarium et ultra,* scilicet ut decrescat et descendat, ad errorem usque, ad peccatum et ad perditionem. Ex istis jam rursus apparet quanta cum prudentia et metu sit in consolationibus agendum, ut earum natura discernatur.

Tota haec discretionis ratio in eo consistit, ut certis signis appareat utrum animi motio angelica sit an diabolica; quae quidem dis-

cretio, cum diabolus naturam nostrae multo superiorem servaverit, valde difficilis, ipsis etiam doctoribus, saepissime est.

Criteria omnia ad unum reducit S. P., ad finem scilicet bonum vel malum, qui ex consolatione sequitur, juxta illud Christi Domini: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos;* et re quidem vera, sicut bonus Angelus non nisi ad bonum movere potest, ita et malus non nisi ad malum. Cum autem motio omnis ad finem sive bonum, sive malum tendat, sequitur propositum a S. P. criterium omni motioni convenire et esse efficacissimum. Jam vero signa plura sunt quibus citius, immo vel ab ipso principio, motionis finis certo dignosci potest, quaeque hic magna ex parte colligimus.

1. Generatim *boni* Angeli est movere, spectato divino famulatu, ad ea quae sunt naturae contraria; *mali* autem est movere ad ea quae naturae, carni, sensibus, famae, amori proprio et vanitati arrident. Vid. Th. Kemp. III, 54.

2. *Bonus* Angelus suaviter ab imperfectis ad perfectiora conducit; *malus* autem occasione consolationum praecipitat in excessus, eo fine ut post consolationem dejiciat, ut valetudinem labefactet et hominem reddat utilibus laboribus imparem.

3. *Boni* Angeli est, nos ad propriam sancti-

tatem consequendam excitare, antequam operibus externis incumbamus; *mali* autem est ad res tantum externas impellere, quae ab hominibus videantur, neglecta animi emendatione et ad virtutem progressione.

4. *Bonus* Angelus avertit a cupiendis accipiendisve dignitatibus, quibus praesertim onus animarum annexum est; *malus* autem ad eas invitat.

5. Rarissime suadet *bonus* Angelus quae inusitata sunt, idque maxime in religiosis Ordinibus, qui quamvis omnes amorem Dei in suis augere quaerant, suum singuli proprium habent spiritum, suam methodum, quam eorum Fundatoribus Deus inspiravit; *malus* contra angelus ad insolita impellit, vanitatis potius quam virtutis causa. Sicubi contigerit ut Deus vel Dei angelus ad magna et extraordinaria moveat, cor tranquillum manebit et ad obediendum erit paratissimum.

6. Raro admodum *bonus* Angelus religiosum movet ut Ordinem suum deserat et alium amplectatur, sed ut se juxta suum institutum in virtutibus exerceat; dum specie austerioris vitae amplectendae *malus* religiosos ad deserendum Ordinem non raro sollicitat.

7. *Bonus* Angelus animum docilem reddit et obedientem praesertim Superiorum consiliis;

malus autem proprii judicii reddit tenacem. Ubi igitur aperit quis confessario habuisse se visionem aut alium favorem supernaturalem, probet confessarius ejus humilitatem et obedientiam, prohibendo, v. g., eum a frequenti communione per aliquod tempus, et forte ex ejus pertinacia illusiones diaboli discernet.

8. In via extraordinaria, locutiones sive externae sive internae *boni* Angeli atque Dei sunt efficacissimae, statimque effectum suum operantur in anima : *Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque et medullarum* (Hebr. 4, 12). Cum S. Teresia aegre se a saecularibus amicitiis expediret ut tota Deo vacaret, haec interius distinctissime audivit : *Jam nolo amplius te cum hominibus conversari*. Exinde non potuit nisi servorum Dei sermone delectari, et rebus sanctis. Illae praeterea locutiones ita menti profunde infiguntur, ut ab ipsomet qui resistit, non audiri non possint. Ita S. Teresia toto fere biennio similibus locutionibus ex obedientia restitit, sed irrito semper conatu. Contraria prorsus de locutionibus *mali* spiritus dicenda sunt : malis somniis non absimiles, confusae sunt atque e memoria excidunt ; nec ad aliud valent quam ad perturban-

dum et contristandum, immo et fere semper pariunt superbiam.

9. Qui ab Angelo aut a Deo supernaturales gratias acceperunt, eas alto silentio premere velint. Quo enim magis caelitus illuminantur, eo etiam magis se indignos sentiunt, despiciunt, atque ab aliis amant despici. Sic S. Ignatius scripta sua omnia, in quibus eminentissimi et innumeri describebantur favores, quos caelitus acceperat, ante mortem suam flammis tradidit, ut et ipse penitus e memoria hominum elaberetur. Qui e contra a *maligno* spiritu favores accipiunt, libenter ex vanitate eos divulgant. Hinc in omnibus extraordinariis gratiis, lapis lydius est humilitas ac obedientia.

10. *Bonus* Angelus ad omnem omnino virtutem etiam in minimis hilariter exercendam excitat, ita ut in omnibus anima divinam voluntatem exquirat; *malus* autem viros spirituales solet a studio verae virtutis abducere, sive negligentiam rerum minimarum eis persuadendo, sive eos variis occupationibus propriae vocationi atque Instituto non consentaneis opprimendo, ut eos a cura propriae perfectionis retrahat. Sic Jesuitae suadebit regulam de socio secum retinendo contemnere, ut apostolico muneri noxiam.

11. Initio solet *bonus* Angelus sacrum quemdam timorem, ut vidimus, incutere, cui pax succedit et in mentis illuminatione gaudium; *malus* autem affert initio securitatem, in fine vero divini auxilii diffidentiam et desperationem. Ita primos parentes nostros tentare est exorsus.

12. *Bonus* Angelus ad humilis et patientis Christi Jesu sequelam suaviter movet; *malus* autem, cum sit superbiae spiritus, ad ea semper instigat quae doctrinae et exemplis Christi contraria sunt. Audi S. Gregorium jam cit. : « Christus ad sputa, ad palmas, ad colaphos, » ad spineam coronam, ad crucem, ad lan- » ceam, atque ad mortem veniens, membra » sua admonet dicens : si quis mihi ministrat, » me sequatur; diabolus vero nihil aliud men- » tes sibi subditas docet, quam celsitudinis » culmen appetere, etc. »

13. *Bonus* Angelus, sicut et Christus, simplicitatem spiritualem, atque in sentiendo humilitatem commendat : *Estote simplices sicut columbae; malus* autem, qui rationalistarum pater est, videns voluntatem servientium Deo firmam esse et constantem, eorum intellectum aggreditur, sublimes cogitationes altosque et curiosos sensus suggerens, ut iis occupati falso existiment se ad apicem perfectionis perve-

nisse, et in superbiam elati, cordis puritatem et mortificationis abnegationisque studium negligant, propriaeque sapientiae confidant et aliorum consilia spernant, illis se superiores judicando. Qui sibi sapiens videtur, stultus fiat ut sapiens vere sit.

Regula quarta

Quarta : proprium est angeli mali, qui in angelum lucis se transfigurat, intrare cum anima devota (id est, incipere suggerendo cogitationes animae devotae conformes) et exire secum ipso (id est, finire suggerendo suas); scilicet (solet), inducere cogitatus bonos et sanctos, conformiter (ad dispositionem) talis animae justae; ac dein paulatim procurat pervenire ad finem suum, trahendo (inducendo) animam ad suas fraudes occultas, ac perversas intentiones.

Huic regulae eximie R. P. Roothaan sequentem notam subjicit : « Haec quarta re-
» gula summi est momenti, uti et quae pro-
» xime sequitur quinta, ne decipiamur specie
» boni, et a vero bono divellamur. Nulla enim
» est virtus, ad quam ferri majori studio ani-
» mam aliquam contingat, quin daemon, id
» animadvertens, continuo tentet specie ipsius
» illius virtutis, sive per excessum, sive alio

» artificio, animam vexare, impedire, perdere. » Cogita, v. g., quam multos *zelus* indiscretus, » quam multos *devotio* inordinata perdidit, vel » certe impedivit, et perdit vel impedit quotidie, fallente scilicet daemone; cujus tamen » fallacias anima vere *humilis* et praesertim » obediens facile vitabit. Parum enim proficit » inimicus extrinsecus agens, nisi domesticus » *amor proprius* in eamdem ruinam conspiret. »

In hac regula eos instruit S. P. qui non solum jam purgati a peccatis suis in virtutibus progrediuntur, sed et justorum merentur nomen : *talis animae justae,* et qui, quod multo plus est, sunt penitus devoti Deo : *animae devotae,* quod aliqualem sanctitatis gradum includit. Hi autem cum in admirabili lumine Christi versentur, eos nullo modo princeps tenebrarum aliqua spe potest adoriri, nisi se in angelum lucis prius transfiguraverit. Quod autem vafer hic generis humani inimicus, ad sanctas etiam animas decipiendas, fraude ista utatur, ipse S. Paulus affirmat. De iis enim qui suo jam tempore in pseudoapostolos se transfigurabant, ait : *Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirum : ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (2 Cor. 11, 13, sq.).

Cum justis ac Deo devotis animabus, ut eas ad minus bonum vel etiam ad malum abducat, diabolus sicut peritus piscator se gerit, qui piscibus non hamum quo eos capiat ostendit, sed vermem vel alium cibum ab eis concupitum, hamum autem sub cibo illo diligenter abscondit. Etenim intelligens animam illam non nisi caelesti cibo recreari velle, caelestem ei cibum offert cui *fallaciam* miscet absconditam. Claudicat autem in eo comparatio nostra, quod illico, ubi cibum apprehendit, capitur piscis et trahitur, quin hamum ullo modo viderit aut suspicatus fuerit; piscator autem infernalis *paulatim,* ut ait S. P., ad suas fallacias animam quasi non advertentem adducit. Ut autem id consequatur, *intrat,* ut ait S. P., *cum anima devota,* quasi idem sentiret, sed paulatim a recta via deflectens *exit secum,* scilicet per suam portam, quae patet ad malum, eumque decepta anima quasi amicum sequitur, donec, apertis oculis, captam se misere sentiat.

Illud *intrare cum...* et *exire secum* ipse S. P. apprime, ubi cum hominibus agebat, cum magno animarum lucro solebat adhibere. Intrabat quippe primo per eorum portam, loquendo scilicet cum mercatore de mercatura, de arte militari cum militibus; sed paulo

post, sermonem invertens, agebat de rebus caelestibus, de Dei lege ac de aeterna salute, ut eos ab interitu revocaret.

Quam periculosa sit illa Satanae in angelum lucis transfiguratio, patet primo ex haeresum historia. A prima ipsa christianae Religionis aetate, multi falsis delusi revelationibus, haeretici facti sunt et in omnis generis flagitia sunt prolapsi. Ast nusquam magis diabolo sua transfiguratio profuit, quam in origine et propagatione Jansenismi. Ementita enim sub specie divinae reverentiae et majoris animae puritatis, pestifera illa secta e sinu sanctae Ecclesiae multos avulsit, aut saltem a sacra confessione et communione avertit, quod tanquam exactorem et tyrannum, Deum qui pater est misericordiarum exhibebat.

Publicae calamitates illae sunt, sed quot animabus malus ille angelus transfiguratus sub specie boni privatim nocuit nocetque! Modo eos qui tanquam a facie colubri fugiunt peccata, in scrupulos adigit, ut pietatis sumant fastidium; modo hominibus vitae interioris amantibus, specie majoris unionis cum Deo, solitudinem suadet, ad quam sunt inepti; modo religiosis in vinea Domini cum fructu operantibus, propriae perfectioni prospiciendi praetextu aut etiam tentationum vitandi pe-

ricula, suadet ut Ordinem contemplativum amplectantur; alios contra, specie zeli ita laboribus addicit, ut sui ipsorum curam negligant, aut lucrandae fiduciae causa, movet ad amorem qui brevi sensualis evadet et turpis; aut etiam tempore meditationis, mentem rapit in imaginaria opera, ut inutiliter tempus teratur, vel conscientiam turbat, ut in examinandis dubiis tota consumatur meditatio. Quandoque etiam diabolus non tantum in angelum lucis, sed et in angelum pacis se transfigurat. « Desistit aliquando (a tentationibus) ait P. » Alvarez, ne si tentet, occasione tribulationis » instantis, a tepore, in quo miserabiliter homo » jacet, exsuscitet. Hinc videas aliquos satis » tepidos et imperfectos, quasi in summa pace » viventes, quos adversarius spernit, nec suis » impugnationibus dignos ducit. Aut certe » adoriri non audet, ne si ad medicum spiri- » talem recurrant, et ad pugnandum assur- » gant, somnum noxii teporis excutiant. »

Regula quinta

Quinta : debemus valde attendere ad discursum (s. seriem) cogitationum; et si principium, medium et finis, (si, inquam, tria haec) sint omnia bona, tendentia ad omne bonum (scil ad id quod omnino bonum sit), signum est boni Angeli; sed si in decursu (in serie) cogitationum, quas suggerit, desinat in rem aliquam malam, vel distractivam, vel minus bonam, quam ea quae anima prius sibi proposuerat facienda, vel ipsam debilitet, vel inquietam reddat, vel conturbet animam, auferendo illi suam pacem, tranquillitatem et quietem quam prius habebat, clarum signum est procedere (cogitationes illas) a malo spiritu, inimico nostri profectus et salutis aeternae.

Scopus autem regulae est, ut signa certa indicentur, quibus anima discernat utrum motio ad bonum finem tendat vel ad malum, et sic inveniat a quo spiritu moveatur. Finis quidem a bono spiritu intentus, qui aperte et sine ambagibus procedit, sine labore detegitur; at non ita de fine quem spiritus malus intendit. Tota enim ejus industria in eo consistit, ut finem suum insidiose, quamdiu fieri potest, absconditum teneat et anima laqueum prius non videat quam in illum inciderit. Signa autem, quibus finis, etsi lateat,

certo discernatur, cum mira claritate ac simplicitate complectitur hic S. Fundator. Primum ad haec signa ut attendamus sedulo nos admonet S. P. his verbis : *debemus valde attendere ad discursum,* etc., atque rationem addit in fine, quando malum spiritum vocat *inimicum profectus nostri et salutis aeternae.*

A bono spiritu non nisi bonum, a malo spiritu, qui solum malum intendit, bonum etiam proponi potest, sed decipiendi causa, sensimque per successionem cogitationum ad suos fines animum deducit. Magna igitur cum dexteritate seriem illam examinandam proponit S. P. ac in ea tria tempora distinguit, principium, medium et finem.

Et primo quidem de motione boni Angeli agens, infallibibile ejus praesentiae signum sic exponit : *si principium, medium et finis sint omnia bona, tendentia ad omne bonum, signum est boni angeli.* Non igitur ad certudinem motionis angelicae sufficit, si unum aut alterum ex his tribus bonum sit, sed requiritur ut tria bona sint; neque, juxta S. P., sufficit ut *bona* sint simpliciter, sed oportet, ut singula ex his tribus tendant ad *omne bonum*, quo excluditur non solum malum, sed et minus bonum. *Bonum enim ex integra causa est, malum autem ex quovis defectu.*

Principium quod a daemone proponitur, semper est bonum vel re, vel specie; secus enim anima justa et devota illico illud rejiceret, nec per *medium* ad *finem* procederet. Examinandum ergo est illud principium, sicut major syllogismi propositio examinatur, scilicet utrum, attentis circumstantiis, rationi, fidei et doctrinae Christi sit conforme.

In *medio* praesertim fallacia diabolica consistit. Ibi enim plerumque in obliquum diabolus animam incipit abducere, et tanta solertia ut finem, etiam ubi jam adest, malum esse nondum anima intelligat; immo nonnunquam finem illum aut rectum aut consideratione dignum existimet : quod fere semper in scrupulis locum habet. Hinc S. P. certa aggerit indicia quibus exterius saltem finis malitiam anima sine ulla dubitatione recognoscat. Ubi autem unum adest ex istis indiciis, tota cogitationum series, utpote a diabolo maligne contexta, abjicienda est sine ulla disputatione, nec alia via est qua eludere subtilia angeli tenebrarum sophismata possimus.

Indicia autem a. S. Ignatio proposita, haec sunt : 1. Si series cogitationem desinat in rem malam; quod quidem ex indiciis omnibus est evidentissimum. 2. Si desinat in rem *distractivam;* distractio enim omnis est quasi cessatio

orationis, ac defectus debitae Deo praesenti reverentiae, ideoque saltem materialiter res mala. 3. Si desinat in rem *minus bonam quam ea quae anima sibi prius proposuerat faciendae;* quod quidem relativum malum est, ut si quis divina gratia pulsus proposuerat Ordinem religiosum ingredi, et jam ad saecularem sacerdotum vitam propendet. 4. *Vel si animam debilitet.* Recolenda hic et applicanda est 2ª reg. disc. pro 1ª hebd., in qua dicitur proprium esse boni spiritus *dare animum et vires* iis qui *intense procedunt in divino servitio,* malum autem spiritum eosdem *mordere* et *ponere eis impedimenta.* 5. *Si animam reddat inquietam vel conturbet, auferendo illi suam pacem et quietem quam prius habebat. Pax* non idem dicit quod *tranquillitas;* pax in corde est, tranquillitas, seu serenitas, in mente. Ex tranquillitate pax partim oritur, et sine tranquillitate non potest consistere. Dixi : *partim* oritur; nam pax illa quae cor afficit et exsuperat omnem sensum, unus est ex fructibus Spiritus sancti. Quod autem ad pacem tranquillitas mentis sit necessaria satis ipsemet S. P. indicat his verbis regulae 2ªe pro prima hebdomada : *inquietam reddendo animam per falsas rationes, ne pergat ulterius.* Ut igitur tranquillitatem et exinde pacem auferat, diabolus animam timoribus ex falsis

rationibus exortis agitat et perturbat, ita ut haec, quasi omnia et ipsa salus essent perdita, tristitiae fluctibus obruatur. Sic perturbati fuere S. Franciscus Salesius, et ipsemet istarum regularum auctor S. Ignatius; sic et multae fideles animae adhucdum agitantur et perturbantur. Quis, v. g., confessarius ignorat multas ac pias animas ante sacram communionem a daemone per omnis generis fallacias et cordis angustias conturbari, eo scilicet fine, ut vel communionem omittant, vel eam sine devotione ac fiducia recipiant?

Ex dictis apparet quintam hanc regulam magnam cum 2ª primae hebd. habere propinquitatem. In hoc autem differunt, quod secunda regula non solum iis qui Deo alacriter serviunt applicatur, sed iis etiam *qui intense procedunt in purgandis suis peccatis;* in hac vero quinta de solis illis quaestio est, qui a peccatis purgati jam et emendati, Christum Dominum, ut decet in 2ª hebd., intense sequuntur. Praeterea in secunda illa regula, effectus tantum indicantur oppositi, sive dilatationis sive contractionis animi, qui ab utroque spiritu pariuntur. In hac autem quinta de solo malo spiritu vel potius de solo tenebrarum angelo transfigurante se in angelum lucis, ut per examen principii, medii et finis, inimici frau-

des detegantur, earumque acquiratur experientia, qua cito ac facile has fraudes perrumpere et pessumdare possimus.

Regula sexta

Sexta : quando inimicus humanae naturae fuerit deprehensus et cognitus ex cauda sua serpentina, et fine malo ad quem inducit, utile est ei, qui fuit ab eo tentatus, considerare postea discursum (sive seriem) bonarum cogitationum, quas sibi suggessit, et principium illarum, et quomodo paulatim procuraverit ut ipsum descendere faceret a suavitate illa et lactitia spirituali, in qua erat, donec illum deduceret ad depravatam suam intentionem ; ut istiusmodi experientia cognita et notata, caveat sibi in posterum ab ejus consuetis fraudibus.

Perspicua haec regula regulae praecedentis applicatio est, et fructus quem maxime S. P. ex ea excipere intendit. Quid enim nos juvaret seriem diabolicarum insidiarum ex fine malo recognovisse, si per earum considerationem in medio, immo et in ipso principio, fraudes satanicas odorari et ab iis nobis cavere non discimus?

S. Ignatius, cum de rejiciendis ab ipso initio tentationibus ageret, dicere solebat : ubi serpens inferni caput introduxit, introdu-

cit et corpus totum. Serpens autem iste totus est venenosus; at non semper ab ingressu venenum suum inspirat. Hoc quidem facit in iis qui peccato delectantur; ast cum justis et Deo devotis alio penitus modo procedit : venenum enim suum tunc solum effundit, cum corpus totum introduxit et caudam. Inde proverbium : *In cauda venenum.*

Ex cauda ergo, ut ait S. P., *deprehenditur* et *cognoscitur* diabolus ab omnibus, quia malum morale, ubi se palam exhibet, non potest non agnosci ut malum, neque diabolus ipse, ubi intus exceptus est, malum abscondere vult ei quem jam illectum contendit ad peccandum adducere.

Satagit autem hic S. P. ut homo ille non in cauda tantum diabolum agnoscat, sed et a capite ipso, scilicet a principio cogitationum quas suggerit inimicus; quod fiet, si qui deceptus est, post deceptionem, discursum *bonarum cogitationum* recoluerit, quas diabolus *sibi suggessit, et principium illarum,* ut videat quam astute a bono vel a meliori ipsum, sensim et semper sub specie boni, ad malum vel ad minus bonum deflectere fecerit : *et quomodo paulatim procuraverit ut ipsum descendere* (non ait *excidere,* quod subito fieri potest,) *faceret a suavitate illa et lætitia spirituali, in qua*

erat, donec illum deduceret ad depravatam suam intentionem. Inde enim diabolicarum insidiarum acquiret experientiam, fiet astutus cum astuto, nec facile in posterum in scopulum impinget : *ut istiusmodi experientia cognita et notata* (menti scilicet bene infixa), *caveat sibi in posterum ab ejus consuetis fraudibus.*

Regula septima

Septima : in iis qui procedunt de bono in melius, bonus Angelus tangit talem animam dulciter, leviter et suaviter, ut gutta aquae, quae intrat in spongiam; et malus (angelus) tangit eam acute, et cum sonitu, et inquietudine, ut cum aquae gutta decidit super petram : eos autem qui procedunt de malo in pejus, tangunt supradicti spiritus modo contrario. Cujus rei causa est, quod dispositio animae sit dictis angelis contraria, vel similis; quando enim est contraria, intrant cum strepitu et cum sensationibus, ita ut percipi facile possit (eorum accessus); quando autem est similis, intrat (spiritus) cum silentio, tanquam in propriam domum, et aperta porta.

In hac regula novum et certum indicat S. P. criterium quo discernamus utrum a malo an a bono spiritu moveamur; illudque hoc in principio ponit : spiritus vel per vim, vel sua-

viter agit in animam, prout haec est quoad mentis dispositionem vel contraria ipsi, vel similis. Si anima alterutri conformis spiritui est et januam ei apertam tenet, ille non alienam domum invadit, sed quasi in factam sibi propriam ingreditur; sin autem ipsi contraria et inimica est anima, januamque obseratam tenet, sine vi spiritus ingredi non potest. Comparatio haec lucidissima non ita tamen, ut vidimus, est accipienda, quasi ingredi directe animam possit sive bonus sive malus Angelus, sed eatenus tantum, quatenus, sensibus prius et imaginatione commotis, quaedam animae proponit, ut iis illa consentiat. Neque obstat S. Scriptura, quae dicit Satanam ingressum esse cor Judae proditoris; nam, ut ait S. Thomas (2.27. a. 12) : « Considerandum est, » quod daemon dicitur ingredi posse mentem » hominis, non secundum substantiam, sed » secundum effectum, in quantum scilicet in- » stigat ad aliquid cogitandum. »

Secunda reg. 1ae hebd., quae pertinet ad eos qui in purgandis suis peccatis intense procedunt, latius patet quam septima regula hujus 2ae hebd., quae iis tantum destinatur qui de bono in melius, non autem qui a malo procedunt ad bonum : horum tamen et eorum qui ad pejus a malo descendunt mentio fit in

regula, sed eo tantum fine, quo principium generale melius stabiliatur.

Ergo hic de iis maxime quaestio est, vel qui amore ferventes *ascensiones* a bono in melius *disponunt in corde suo* vel qui, remissione animi, periculis tepidorum jam fiunt obnoxii.

Quomodo autem bonus Spiritus animas tangit quae procedunt *de bono in melius? Dulciter,* id est, sine *strepitu; leviter,* id est, sine ictu; *suaviter,* id est, cum spirituali delectatione et consolatione, sin minus initio ob excitatum sensum timoris reverentialis, saltem post exiguum momentum.

De qua re Patrem monachorum S. Antonium audiamus : « Non est difficilis bonorum » spirituum malorumque discretio, quae sic » Deo tribuente panditur. Sanctorum Ange- » lorum amabilis et tranquillus aspectus est, » quia neque contendunt, neque clamant; ve- » rum tacite leniterque properantes, gaudium, » exsultationem, fiduciam pectoribus infun- » dunt; si quidem cum illis est Dominus, qui » est fons et origo laetitiae. Tunc mens nostra » non turbida, sed lenis et placida Angelorum » luce radiatur. Horum tanta benignitas est, » ut si quis pro conditione fragilitatis huma- » nae miro fuerit eo fulgore perterritus, om- » nem continuo ex corde auferant metum. Ita

» Gabriel, cum ad Zachariam loqueretur in » templo, et Angeli, cum divinum Virginis » partum pastoribus canerent, aut Dominum » resurrexisse mulieribus nuntiarent, ne me- » tuerent imperabant : metus enim non tantum » ex pavore animi, quantum ex magnarum re- » rum saepe incutitur aspectu. Si igitur timori » horrore concepto successerit gaudium, et ad » Deum fiducia et ineffabilis charitas, venisse » sciamus auxilium, quia securitas animae » praesentis Majestatis indicium est. »

Alibi idem Sanctus ait : « Si post timorem » successerit gaudium, a Domino venisse sci- » amus auxilium; quia securitas animae prae- » sentis Majestatis indicium est. Si autem in- » cussa formido permanserit, hostis est qui » videtur. »

Hanc sententiam refert et laudat Angelicus Doctor, quae licet de visionibus et apparitionibus prolata sit, in occultis tamen instinctibus locum etiam habet, rationemque hanc affert : « quia ex hoc ipso quod homo supra » seipsum elevatur, pars ejus inferior debili- » tatur, ex quo provenit perturbatio : sicut » etiam calore naturali ad interiora reducto, » exteriora tremunt. »

Notant autem auctores formidinem illam in animabus quae solent his gratiis donari,

primis tantum vicibus locum habere, postea vero fieri omnia dulci, levi et suavi modo.

Aliter easdem animas tangit malus Angelus, modo scilicet contrario, videlicet, non dulciter, sed *acute,* non leviter, sed *cum sonitu;* non suaviter, sed *cum inquietudine;* sicut aquae gutta, quae decidit, non *in spongiam,* in quam intrat sine strepitu, sed *super petram,* in quam cadit acute, cum sonitu et vi. Sicut ex una parte quasi convenientia est spongiam inter et aquam, et ex altera aquam inter et petram repugnantia, ita ut aqua spongiam tingat et in petram resiliat; ita idem spiritus vel amice vel inimice ab anima, prout illi similis est vel dissimilis, suscipitur. Cum autem eodem prorsus modo res se habeat in omnibus casibus, hinc regula generalis, quam in fine S. P. tam nitide describit. *Strepitus et sensatio* utrique communes sunt, quotiescumque dispositionem sibi contrariam, commune et *silentium,* quando faventem sibi dispositionem in anima inveniunt. Amico patet ostium, clauditur autem inimico.

Regula octava

Octava : quando consolatio est sine causa, licet ei non insit fraus, cum a solo Deo Domino nostro tunc procedat, ut dictum est (reg. 2.), tamen persona spiritualis, cui dat Deus talem consolationem, debet multa cum vigilantia et attentione considerare ac discernere proprium tempus actualis ejusmodi consolationis a sequenti (tempore), in quo anima remanet fervens, et favorem (divinum) ac reliquias consolationis praeteritae etiamnum sentit : quia saepe in hoc secundo tempore per suum proprium discursum ex habitibus (suis), et ex consequentiis (habitorum) conceptum, et judiciorum (vel ex judiciis propriis), sive per bonum spiritum sive per malum, format varia proposita et consilia, quae non dantur immediate a Deo Domino nostro, ac proinde valde bene discutiantur necesse est, antequam iis integer assensus tribuatur, et deducantur ad effectum.

Redimus hic ad secundam regulam, in qua vidimus eam consolationem, quae est sine causa praecedente, quae videlicet neque per propriam rationem, neque per lectionem aut concionem, neque per spectaculum oculis oblatum neque per angelum est adducta, esse sine ulla dubitatione a Deo. Nam cum causam nullam animae extraneam habeat, causaque

ab anima, prout supponitur, actibus internis non exsistat, siquidem consolatio est *sine causa praecedente,* ab alio ergo intus in anima ipsa producatur oportet. Atqui solius est Creatoris, utpote Domini, animam ingredi, intus illuminare, intus movere et *trahere totam in amorem suae divinae Majestatis.* Hinc sequitur ejusmodi consolationi, quamdiu talis est, fraudem nullam inesse unquam posse.

Diximus etiam Deum, non in via extraordinaria tantum, sed et in ordinaria, quod saepe fit, hoc genus consolationis animae immediate infundere, sed hoc non constare nisi in tribus viae extraordinariae gradibus, in quibus visio datur intellectualis, indeque, in solis illis gradibus, illusioni locum a priori non esse. In via igitur ordinaria et in gradibus extraordinariis tribus illis inferioribus, cum intervenire possint vel angelus, vel ratiocinatio, vel imaginatio, regulae ordinariae sive primae sive secundae hebdomadae sunt ad cautelam sedulo adhibendae. Hinc patet, in omnibus fere consolationibus timorem quemdam et magnam prudentiam semper adesse debere, viamque fidei non solum esse magis meritoriam, sed et securiorem atque ab insidiis inimici magis immunem.

In primo igitur tempore consolationis illius

quae sine causa est, et quando de ea constat, non solum timenda non est illusio, sed ea est omnino impossibilis. Non autem idem de secundo, qui primum sequitur, tempore dicendum est. Nam ubi Deus *egressus est,* animam quidem fervidam reliquit, sicut vas aquae bullientis fervet adhuc cum ab igne removetur, sed anima redditur sibi ac suis operationibus, et ipsi angeli jam possunt ad eam accedere. Inde anima sic sibi relicta ab illusionibus desinit esse secura, et ordinariae discretionis regulae sunt applicandae.

Igitur tunc anima *debet,* ait S. P., MULTA *cum vigilantia et attentione considerare,* ita ut possit *discernere proprium tempus actualis ejusmodi consolationis a sequenti tempore,* quod non semper facile est; nam cum anima remaneat fervens, naturale est ut, remanente calore, perseverare divinum afflatum existimet, quando afflatus ille jam cessavit.

Qui quidem error potest accidere sive per proprium discursum, sive per immixtionem mali angeli. Et *primo* quidem per *proprium* discursum, ratiocinando scilicet et imaginando.

Quam vero sit mens nostra ad errorem proclivis, nemo non fatebitur, qui infirmitatem humanae naturae per peccatum originale creatam, *habitusque* exinde ei innatos ac veluti

connaturales attentius consideraverit : ei enim sole clarius apparebit hominem, etiam vix praeterita visione ipsa intellectuali, posse per seipsum, nihil machinante diabolo, in illusionem incidere.

Dici quippe non potest, quanta sit lapsi per peccatùm originale hominis infirmitas, nisi sublevaverit eum Christi gratia, quamque pronus sit ad malum, et ad bonum saltem supernaturale inhabilis. Mens enim ejus densis tenebris offusa evanescit in suis cogitationibus; voluntas autem languens et viribus destituta concupiscentiae et iniquitati servit. Hinc homo, nisi a Christo sanetur, oculos a summo bono avertens, in falsum sui amorem sese convertit, sensuum voluptatibus indulget, nihil agens nisi ut hominibus placeat et propriam gloriam quaerat. Ex quibus constat quam facile quamque vehementer errare possit homo, ubi sibi ipsi relinquitur. Neque eum ab errore ingenium scientiave facit immunem. Experientia enim novimus promptiora facilius errare ingenia, rebusque novandis esse aptiora; semper omnia scrutantur impedimentaque sibi effingunt, quae nunquam existent, et importunis subtilitatibus sibi blandiuntur.

Quid si innumeras, non ex diversis ingeniis

tantum, sed ex valetudine, aetate, sexu, institutione, conversatione, varietates addideris? Hinc diversitates instinctuum, habituum, motionum, et inde variis ex fontibus orta illusionum pericula.

Audiamus card. Bona : « Spiritus hominis » veluti profundissima abyssus est, plena la- » tibulis et specubus, nemini pervia nisi Deo, » et cui voluerit Deus revelare. *Grande pro-* » *fundum est homo,* inquit Augustinus (L. 4 » Conf. 14), *cujus capillos tu, Domine, numeratos* » *habes, et non minuuntur in te; et tamen capilli* » *ejus magis numerabiles sunt, quam affectus ejus* » *et motus cordis ejus.* Nullus est hostis homini » perniciosior, quam proprius ejus spiritus. » Subdolus, fallax, captiosus est : volubilis, » curiosus, quietis impatiens, amantissimus » novitatum. Nihil est tam deforme ab ima- » ginatione confictum, quo ille non occupetur; » nihil tam absonum et inane, quod non am- » plectatur. Nunc divino Spiritui famulari » videtur, nunc diabolo servit; nec diu per- » manet in eodem statu. Callidissimus cum » sit, mirabili subtilitate ac industria seipsum » versat, ut se suaque commoda sub praetextu » divinae gloriae et perfectionis occultet. Re- » vera tamen procul ab illo Dei gloria est, » procul amor perfectionis : nam seipsum in

» omnibus quaerit, se colit, se diligit, et sanc-
» tissima quaeque a vero fine abstracta in
» seipsum, tanquam in finem, convertit. Quare
» debet unusquisque cautius sibi et diligen-
» tius a seipso quam a diabolo cavere : quia
» nulla est extra nos potentia, quae nobis
» nocere possit, nisi ipsi nos impugnantibus
» hostibus, arma, manum et consensum prae-
» beamus. Multi sunt quidem, qui nos impel-
» lunt in ruinam : impellit mundus, impellit
» diabolus, impellit homo; sed nemo acrius,
» nemo periculosius quam homo. Quaeris quis
» sit iste homo? Respondet Bernardus : *Quis-*
» *que sui. Noli mirari; usque adeo homo impulsor*
» *sui est, et suimet praecipitator, ut non sit quod*
» *ab altero impulsore formides, si ipse a te pro-*
» *prias contineas manus.* »

Ex quibus liquet cur S. P. de praecavendis, etiam post consolationem sine causa, illusionibus moneat, quae tunc vi *habituum possunt* obvenire. Mirum est enim quanta sit amoris proprii solertia.

« Possumus, ait Card. Bona, desiderare ab
» omni nostro privato amore exui ob alium
» proprium amorem; possumus propter su-
» perbiam amare et optare humilitatem. Fit
» nimirum in nostris internis actionibus cir-
» culus imperceptibilis a nobis ad nos ipsos,

» semperque manet subtilissima quaedam in » corde nobisque ignota philautiae radix, ita » ut nonnunquam tunc maxime a divinis ra- » tionibus remoti simus, cum nos illis propio- » res arbitramur. » Potuisset auctor ille jure merito addere : fit e contra, ut tunc maxime divinis rationibus simus propiores, cum ab eis nos remotiores esse existimamus, propter tentationum procellas, humiliationes, adversitates, et propter ingrata illa omnia quae praeter aut contra nostram voluntatem nobis accidunt et in quibus amor noster proprius sese nullatenus immiscet : *Sustine sustentationes Dei... quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis* (Eccli. 2). Securior itaque ceteris omnibus ordinaria via est, ideoque et optabilior.

Secundo per immixtionem mali angeli. Quamdiu durat consolatio illa a solo Deo sine causa proveniens, novit diabolus se posse nihil ; sed finem exspectans *sedet in insidiis cum divitibus in occultis... quasi leo in spelunca sua* (Ps. 9). Ubi autem Deus recessit, accedit ipse, *et intrans cum anima devota,* sensim ad fraudes suas eam deducere conatur, sive ad superbiam provocando, sive sub specie boni ad minus bonum inclinando.

Hinc magna contra illusiones cautela est

adhibenda, ne in tempore Exercitiorum *varia proposita et consilia formentur, quae non immediate a Deo Domino veniunt,* sed vel ab inordinatis nostris habitibus, vel a nostris falsis ratiocinationibus et judiciis, vel a cavillationibus angeli tenebrarum; *ac proinde,* ait S. P., *consilia* illa et *proposita*, non qualicumque modo, sed *valde bene discutiantur necesse est*. Neque apud se tantum quisque ea discutiat, sed de iis sincere cum perito patre spirituali conferat. Qua de re S. Ignatium (Ep. de obed.) audiamus : « Sicuti ne voluntas erret, » cum Superioris voluntate conjungitur; sic » et intelligentia, ne fallatur, ad Superioris » intelligentiam conformanda est. *Ne innitaris* » *prudentiae tuae,* sacrae Litterae monent : » atque in rebus etiam humanis censent sa- » pientes, vere prudentis esse, sua ipsius pru- » dentia minime fidere; praesertim in rebus » suis, quarum homines animo perturbato » fere boni judices esse non possunt ». Si ita est de rebus quae usu veniunt, quanto magis de extraordinariis consolationibus, ac de propositis ad vitam animae spectantibus idem est dicendum!

Ideo idem S. P., postquam in reg. 21 Summ. filios suos praemonuit, ut *ab illusionibus daemonis in suis spiritualibus excercitationibus*

caverent, eosdem admonet in reg. 41, ut praefecto rerum spiritualium, vel confessario, « vel Superiori totam animam suam *integre* » manifestam esse, *pergratum* habeant; nec » solum *defectus* aperiant, sed etiam poenitentias vel mortificationes, et *devotiones*, ac » *virtutes omnes*, voluntate *pura* optantes ab » illis dirigi, sicubi a rectitudine deflecterent : nolentes suo *proprio sensu* duci, nisi » conveniat cum judicio illorum, quos Christi » Domini loco habent. » Hic et reg. 13ª disc. pro 1ª hebd. applicetur.

Inserenda hic essent omnia sapientissima et societatis nostrae principiis egregie accommodata documenta P. Gagliardi, nuper a P. Van Acken circa reg. discr. edita. Ad ea lectorem remittimus.

Regulae eleemosynarum

Regulae de distribuendis eleemosynis, quas, brevitatis causa, non judicamus hic transcribendas, innituntur omnes principiis fuse in decursu Exercitiorum expositis. In iis enim et finem sive proximum sive ultimum hominis, et inordinatarum affectionum expugnationem, et secundum tertii temporis modum electionis, et notam de binariis, et regulas tum poenitentiarum, tum temperantiae, omnia haec distribuendis eleemosynis applicata reperies.

In ministerio distribuendi. Quare *ministerium* dicit S. P.? Quia de illis praesertim cogitat qui praebendas ac alios ecclesiasticos reditus habent. Haec est prima personarum classis quam spectant regulae S. P.. Tempore enim S. Ignatii, reditus illi erant saepe amplissimi, quorum maximam partem, cum detrimento pauperum, aliqui ut luxu viverent, sibi attribuebant; hinc non in saeculari tantum, sed et in regulari ac monastico ordine, serpebat in dies pluribus in locis morum corruptela, quam acerbissime haeretici insectabantur. Itaque leges strictissimas quoad paupertatem et ministeria gratuita S. Ignatius sociis suis imposuit.

Secunda classis eorum est qui, statum religiosum amplexuri, in eo sunt, ut bonis suis temporalibus cedant. Istis utpote viam perfectionis ingressuris maxime incumbit, ut bonorum abdicationem perfecte faciant et ab initio sibi ipsis amore Christi renuntient : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum ;* et : *Si vis perfectus esse,* vade, vende quae habes, et da (non iis quos amas, sed) *pauperibus, et veni, sequere me.*

Tertia classis eos omnes complectitur, qui in saeculo vivunt et lege eleemosynae tenentur. Distributio autem eleemosynarum in iis quoque sensu accommodatitio *ministerium* vocari potest. *Mandavit enim unicuique Deus de proximo suo.* Mandatum illud est sublimissimum, non solum quatenus ad primam omnium virtutum pertinet, charitatem, sed quia Dei ipsius apud pauperes, membra scilicet Christi, legatione divites funguntur.

Duplici inordinationi in his regulis occurritur, quarum prior est auri cupiditas, in eoque possidendo avaritia. De hoc vitio in meditatione de duobus Vexillis actum est, in qua auri cupiditatem, primo ad honorem mundanum, dein ad superbiam, et inde ad omnia vitia et peccata viam sternere vidimus. In meditatione autem de Binariis idem vitium ab

amplectendo statum perfectissimum, vitam nempe religiosam et apostolicam, deterrere atque abducere ostensum est.

Altera inordinatio est affectus sensualis et carnalis, de quo in meditatione de Regno Christi. Dantur quidem eleemosynae, ceditur bonis, sed non Dei amore; nam acceptio fit personarum, et ex proprio sive naturali, sive sensuali affectu datur eleemosyna; actus in se bonus est, sed vitiatur intentione et affectu.

Utramque inordinationem impugnat S. P., avaritiam scilicet et inordinatum amorem; itaque una parte generositatem excitat, altera vero puram intentionem. Atque ut utrinque vincat, methodo illa utitur, qua in secundo modo tertii temporis ad faciendam electionem status jam usus est; quae quidem quatuor punctis constat.

At cur secundum, non autem primum in tertio electionis tempore modum eligendi nunc adhibet? Quia scilicet in primo modo duo diversa aut etiam opposita proponuntur, ex quibus unum eligatur; hic de una tantum re agitur, quae perfecte est facienda. Praeterea hic ea praesertim quaerenda sunt, quae voluntatem directius moveant et perficiant, oblique intellectum : agitur nempe de vincenda du-

plici inordinatione cordis, qua vel ad divitias vel ad personas afficimur. Nihil autem ad hoc efficacius est quam regulae secundi electionis modi, ut ex earum applicatione patebit; neque ulla ex quatuor est quae utrique inordinationi remedium non afferat.

Prima regula ad Fundamentum Exercitiorum nos reducit, ex quo regulae electionis velut ex suo fonte dimanant. Finis enim hominis proximus est, ut Deum laudet, id est admiretur et amet, tum propter se, tum propter tantum ejus erga homines amorem; reliqua autem super faciem terrae sita, divitiae, parentes, amici, creata sunt ut hominem juvent in prosecutione finis ob quem creatus est; qui cum alius non sit quam amor Dei, eligere ea in omnibus debeo, quae magis me ad illum finem assequendum juvabunt. Inde si parentibus aut amicis bona mea relinquo, quia amici aut parentes mei sunt, inordinata est haec abdicatio, ad quam impulit creaturarum amor.

Non equidem prohibet S. P. amorem illum parentum et amicorum qui a natura insitus est aut pro acceptis beneficiis debetur, sed bene ordinatam charitatem exigit. Primo enim et super omnia, et ex toto corde, et in omnibus diligendus est Deus : *Hoc est primum*

et maximum mandatum; de proximi vero amore ait Christus : *secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum,* (non sicut Deum, ex toto corde, etc. sed) *sicut teipsum.* Quod igitur tibi optas fieri, fac et tu proximo. Hoc spectat naturam et quantitatem operis; intentio autem his denotatur verbis *simile est huic,* nam et in secundo primum latet mandatum. Amor enim proximi charitas non est, nisi ex amore Dei procedat.

Quid igitur exigit S. P., nisi ut qui exercitiis excultus jam exoptat perfectionem, omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuat, ac illum in spiritualem convertat; eosque diligat eo solum amore, quem ordinata charitas exigit. (R. 8 Summ).

Rem autem clarissime et cum magna verborum prudentia exprimit S. Ignatius : *Amor ille qui me movet* DESCENDAT DEORSUM *ex amore Dei Domini nostri* (quae verba, pro more, argumentum continent), non autem amor parentum primum locum occupet, et, sicut in 2ª Binariorum classe, per vim aliquam referatur ad Deum. Neque sufficit ut dispositio illa adesse videatur; requirit S. P., UT SENTIAM *primum in me, amorem quem plus minusve habeo erga tales personas* (quantumvis sit legitimus, immo et laudabilis amor) ESSE PROPTER DEUM;

et ut in causa, ob quam eas magis amo, RELUCEAT DEUS.

Aurea haec regula non solum ministerio distribuendi eleemosynas, sed rebus aliis est applicanda, ac prae ceteris ministerio sacro, in quo non temporales, sed spirituales ac divinae per Dei ministros eleemosynae distribuuntur. *Descendat desursum* oportet amor ille qui *nos facit dare eleemosynam;* quod certo locum non habebit in eo qui vel lucro in sacris ministeriis inhiat, vel divites potius quam pauperes, feminas ac puellas potius quam viros, excultos potius quam rudes libentius ac promptius ad sacrum tribunal excipit, vel qui declinat conciones plebi faciendas et parvulorum catecheses, ut ad excultos et splendidos caetus verba faciat, vel qui contra Instituti sui leges, prohibita sibi ministeria suscipit. Talibus enim pertimescendum est, ne sibi a supremo Judice dicatur : *Recepisti mercedem tuam;* et illud : *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum* (SAP. 3, 11); immo et illud ex Imit. Christi : « Si quaeris teipsum, invenies utique teipsum, sed ad tuam perniciem. »

Secunda regula. Quid homini mihi ignoto, sed cui perfectionem exopto, si in eodem statu esset in quo ego sum et interrogaret quantam

suorum bonorum partem et quibus personis in eleemosynas erogare ad majorem Dei gloriam et suam (non ait S. P. salutem, sed) perfectionem deberet, quid, inquam, ei responderem? Responsum autem quod darem, et mihi, quidquid garriat natura, applicabo. Consultor quippe ille nec pecuniae meae nec personarum quae mihi carae sunt, sibi autem ignotae, ullum inordinatum affectum haberet, sed solam in responso Dei gloriam et meam perfectionem intueretur.

Tertia regula. Quid vellem fecisse, in extrema morte, sive quoad quantitatem eleemosynarum, sive quoad electionem personarum? Etenim pecunias et personas omnino relicturus, nec pecuniae nec personis amplius adhaerebo, divitiasque aeternas solas intuebor.

Quanta mea tunc erit consolatio, si juxta Christi consilium, thesaurisavero thesauros in caelo (1)!

(1) Nemo forte copiosius et pressius ad largitionem eleemosynarum hortatus est, quam S. Petrus Chrysologus Serm. 8 de jej. et eleem. Sic enim ait :

« Thesaurus caeli est manus pauperis : quod suscipit, ne » in terra pereat, reponit in caelum. Manus pauperis est » gazophilacium Christi, quia quidquid pauper accipit, Chris- » tus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias » caelum; da nummum, ut accipias regnum: da pauperi ut » des tibi; quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pau- » peri non dederis, habebit alter. Clamat Deus : Misericor-

Quarta regula. Quid fecisse me vellem, quoad quantitatem et personas, quando post mortem meam, coram supremo Judice apparebo? Quid dicet mihi? *Esuriebam, et dedisti manducare,* etc., an : *Esuriebam, et non dedisti mihi manducare, etc.?* In omni casu, addet : *Amen dico tibi, quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecisti;* et inde alterutra feretur in me sententia : *veni,* vel *discede,* etc.

Quinta regula : haec ad praxim praecedentium regularum. Jubet enim non dari eleemosynam, antequam omnis, si adsit, inordinata erga personas affectio e medio sublata fuerit, adhibendo regulas praecedentes.

» diam volo. Qui quod vult Deus Deo negat, a Deo sibi, » quod desiderat, vult negari. O homo, petit Deus, sed tibi, » non sibi : humanam misericordiam petit, ut largiatur divi- » nam. Est in caelis misericordia, ad quam per misericordias » terrenas pervenitur. Dicturus causam in judicio Dei, pa- » tronam tibi misericordiam, per quam liberari possis, assu- » me. Qui de patrocinio misericordiae certus est, de venia » sit securus, de absolutione non dubitet. Misericordia non » solum causam praevenit, anticipat cognitionem, sed etiam » sententiam revocat, absolvit addictos. Quod Ninivitae » probant, quos jam sententiae subjectos, poenae traditos, » ad victimam stantes, morti deditos, misericordia sic ra- » puit, sic tenuit, sic praevenit, ut maluerit Deus deduci » sententiam, ne misericordiae quid negaret. Fratres, per » misericordias pauperum misericordiam paremus, ut possi- » mus esse de poena liberi, de salute securi. Beati, inquit, » misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Gra- » tis misericordiam sperat ibi, qui hic non fecerit misericor- » diam. » Solidissima et efficacissima argumenta in his verbis reperiet concionator, qui oratiunculam illam meditabitur.

Sexta regula de re valde delicata tractat, scilicet de bonis ecclesiasticis. Certum est omnes qui praebendas habent, ubi sibi retinuerunt necessaria ad honestam suam sustentationem, sub gravi debere reliqua vel in pauperes, vel in pia opera expendere. Cum autem in Belgio et Gallia compensationes factae a Gubernio parochis et vicariis ad sustentationem non sufficiant, obligatio illa evanescit : obligatio autem in ea quae jure stolae obveniunt per se non cadit.

De obligatione proprie dicta directe non agit S. P., quamvis satis eam significet : *quam debet sumere ;* agit potius de perfectione, quo tutior sit conscientia.

De iis igitur sermo est, qui cùm divina vocatione, beneficia ecclesiastica *sine ulla culpa* acceperunt et salutem non solum, sed et perfectionem animae suae volunt, haerent autem ancipites circa quantitatem bonorum quam sibi quamque pauperibus reservare debeant. Circa haec *dubium est,* ait, *de culpa et de excessu :* de *culpa,* si quis largiorem partem ad suam sustentationem adhibeat, de *excessu,* si scrupulis agitatus non sufficientia sibi reservet. In hoc casu, *se reformare potest,* ait S. P., *in vita sua et statu per regulas supradictas.* Si eas servaverit, tutus erit, et multum coram Deo merebitur.

Septima regula ad clericos qui beneficiis ecclesiasticis potiuntur, dein ad laicos quoscumque spectat.

1. Quid clericis inculcat S. P.? *Semper* (ut omnem quamcumque exceptionem excludat) *tanto melius est* (scilicet legi Dei conformius in se, et ideo) *securius* (ad salutem aeternam), *in eo quod ad propriam personam* (vestitum v. g.) *et statum domus* (scil. habitationem, victum, supellectilem,) *vel familiae* (quoad famulorum numerum) *pertinet,* tanto, inquam, melius est et securius, *quanto maxime se (quis) restrinxerit et sibi diminuerit.* Hanc eamdem methodum tenuit S. P., ubi de poenitentia in victu, in potu, in lecti ratione tractavit; ut homo scilicet se vincat, et a terrenis liber, verae pietatis praebeat exemplum.

Gravissimum autem affert argumentum : *et quanto propius accesserit ad summum nostrum Pontificem, exemplar et regulam nostram, qui est Christus Dominus noster :* nil clarius, nil irrefragabilius, sed nil etiam delicatius in re dictu difficillima invenies.

Respondet quippe hic S. P. tacitae objectioni, qua contendere quis possit externum apparatum dignitati ecclesiasticae conciliare reverentiam. Si ita res esset, summus noster Pontifex Jesus, cujus prae ceteris erat divinis

reverentiam asserere, non vixisset in tanta humilitate, paupertate et despectu; immo et per paupertatem mundum a ruina erexit, a peccatis ad sanctitatem transtulit, et ab inferno ad caelum.

Ergo nullus clericus est, nullus episcopus, neque ipse summus Romanae Ecclesiae Pontifex, qui non debeat propius ad Christi paupertatem accedere. Qui cum sit summus Dux noster, Dominus et Deus, infinities melius quam nos sciens quid sit procurandae hominum saluti opportunius, pauperem humilemque vitam suam, vitae nostrae regulam posuit et exemplar.

Quibus suffragatur, juxta S. Ignatium, concilii Carthaginiensis, simul et S. Augustini, qui ei concilio interfuit, auctoritas. Ibi enim *decrevere,* immo et *mandavere* Patres *ut supellex Episcopi sit vilis et pauper :*

2. In altera hujus regulae parte, agit de iis omnibus, cujuscumque status sint, qui habent unde eleemosynas tribuere valeant. Eamdem eis in distribuendis eleemosynis mensuram assignat, quam clericis beneficiariis posuit, hoc excepto quod hi partem beneficiorum suae sustentationi non necessariam totam *ex justitia,* ceteri autem partem tantum superflui (extra casum extremae saltem necessitatis),

eamque pro ingenio Theologorum valde variabilem, ex divino charitatis praecepto distribuere debeant.

Relictis igitur doctis ac subtilibus theologorum ambagibus, iis qui e sacris Exercitiis spiritum Christi hauserunt, regulas tradit exemplis et doctrinae Christi accommodatas atque propriae cujusque perfectioni ac pauperum bono faventes. *Idem,* ait, scilicet quod de beneficiariis clericis dictum fuit, *debet considerari in omnibus vivendi modis,* scil. statibus. Clericis autem data haec regula est, quod ad sustentationem suam spectat, *tanto melius fore eis et securius,* quanto *magis se restrinxerint et sibi diminuerint* quoad propriam personam et statum domus, atque ita *ad exemplum pauperis Christi accesserint.* Hoc tamen inter utrosque discrimen est, quod excepto casu vocationis religiosae, ii qui in saeculo vivunt divitiis suis renuntiare non debeant, clericis e contra ex suis beneficiis ditescere in conscientia non sit licitum.

Ideo pro iis qui divites in saeculo sunt, temperamentum adhibet S. P., illudque triplici ratione : *conditione* nimirum, *statu* et *proportione. Conditione :* sic rex non potest casulam quamdam habitare aut vestem induere plebeiam; *statu,* scilicet fortunae : dives enim

more divitum christianorum vivere debet, et convenientia filiis suis bona relinquere; idem dicendum de familiae ejus numero ac apparatu; honor enim societatis, juxta divinae Providentiae ordinationem, id exigit : divites quasi ornamentum sunt hujus saeculi; *servata proportione,* quia clericus majorem partem suorum beneficiorum pauperibus dabit; dives autem pro quantitate superflui bonorum suorum. Quae omnia sermone ad filium eximie perstrinxit Tobias : Ex SUBSTANTIA, ait, *fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab* ULLO *paupere; ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini.* QUOMODO POTUERIS, *ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum* LIBENTER *impertiri* STUDE. Haec documenta nullatenus divites illi sequuntur, apud quos crescentibus divitiis, simul crescunt vitae lautioris necessitates, ita ut superfluum vix ullum remaneat. Tales autem audiant Spiritus Sancti sententiam : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Sibi enim injuste retinuerunt, quae ex divinae Providentiae dispositione ac voluntate elargienda erant pauperibus.

Affert S. P. sanctissimorum parentum B. Virginis exemplum, facultates suas in tres partes dividentium : *primam dabant pauperi-*

bus, secundam ministerio et servitio templi, tertiam sumebant ad sustentationem suam et suae familiae? Quo exemplo, non sine consilio innuit eos esse laude dignos, qui propter Christum non solum ad sublevandos pauperes, sed etiam ad divini cultus ornamentum aliquid donant ex opibus suis.

De scrupulis

Ad sentiendos, ait S. P., *et dignoscendos scrupulos et suasiones inimici nostri juvant notae sequentes.*

Non regulas vocat S. P. quae hic dicit de scrupulis, sed notas, quia non tam regulae sunt, quam lumina ad sentiendos et dignoscendos scrupulos : lumine enim maxime indiget scrupulosus, ut quos habet scrupulos sentiat esse scrupulos, eosque a peccatis dignoscat. *Notas* igitur *quasdam* tantum tradit, non vero complete de scrupulis tractat. Sic ubi de examine egit generali, quaedam tantum puncta specialia notavit. Quae tamen hic habet clarissima sunt, atque attentius consideranti utilissima.

Prima nota confusionem notionum circa scrupulos tollit. *Appellant vulgo, ait, scrupulum, illud quod procedit ex nostro proprio judicio et libertate : scilicet, quando ego libere judico (mihi formo judicium) esse peccatum, quod peccatum non est; sicut accidit, ut aliquis, postquam calcavit incidenter crucem ex paleis (formatam), judicet suo proprio judicio se peccasse. Atque hoc est proprie judicium erroneum, non proprie dictus scrupulus.*

Non agit in prioribus notis S. P. de scru-

pulis actum ponendum spectantibus, sed actum jam positum, quae duo omnino distincta sunt. Nam ante actum, scrupuli moralitatem ipsam actus possunt attingere; post actum, nullatenus. In omni scrupulo anxietas adest et perturbatio, simul et error quidam judicii. Optime discernit S. Fundator judicium scrupulosum a scrupulosa formidine : inde evanescunt obscuritates quae fere passim in theologiis quoad conscientiam scrupulosorum erroneam inveniuntur.

Nota quomodo clare dilucidet priorem scrupuli actioni supervenientis speciem : *quod procedit ex nostro proprio judicio et libertate;* non loquitur de *dubitatione* aut de *apprehensione,* sed de *judicio* lato et reflexo, quodque ab externa sive daemonis sive hominis suggestione non procedit, sed a *propria* et *libera* sententia. Ex tali scrupulo, in quo proprium judicium libere affirmat, oritur conscientia illa *mala,* seu *dubium practicum,* cum quo si quis agat, peccatum committit. Et re quidem vera peccat in hoc casu qui sanam, nec scrupulis implexam, mentem habet : quod et de scrupulosis etiam esset dicendum, si sanam conscientiam haberent ac formandi cum *libertate,* ut ait S. P., veri judicii facultatem; quam certe animo penitus perturbati non habent. Quae consi-

deratio in dirigendis scrupulosis omnino attendenda est.

Etenim quomodo scrupulosum confessarius dirigere poterit, si duo sequentia principia teneat : 1° Non licet agere, quando levi ratione et timore falso judicatur aliquid esse illicitum; vel 2°, quando quis suspicatur inani motivo aliquid esse illicitum? Semper enim ita scrupulosus opinabitur et existimabit se vere judicare. Unde nunquam erit unde miser ille evadat, nisi suspiciones illae et judicia tanquam apprehensiones habeantur, quae ex obedientia confessario debita, sine examine contemni debent et rejici. Se igitur quasi ratione carentem scrupulosus teneat, judicioque confessarii caece innitatur.

Caveat autem diligentissime confessarius 1° ne scrupuloso videatur timere ne peccatum adfuerit; 2° ne haesitans in suis responsis ac regulis tradendis appareat, sed serena cum firmitate procedat; 3° ne se impatientem exhibeat, sed cum tranquillitate, cum charitate et patientia poenitentem excipiat, eique cum pace lumen ostendat; 4° ne facile eum objurget, neve praesertim excludat ut obstinatum et parere nolentem; quod qui faciunt, vel non novisse se scrupulorum cruciatus ostendunt, vel charitate omnino privari; 5° ne cum scru-

puloso multum ratiocinetur; ex rationibus enim obscuritates scrupulosorum crescunt, ac multiplicantur subtilitates. 6° Ne sinat confessarius eos saepius repetere quae jam confessi sunt; immo quandoque efficacissimum erit remedium primo ad sacram mensam eos mittere, et post communionem tantum ad confessionem admittere. Ordinarie enim ex pace qua in SS. Eucharistia fruentur, facilius sentient trepidasse se, ubi non erat timor.

Ubi de calcata cruce meminit S. P., ait : *incidenter* calcavit, proinde sine culpa. Si autem non incidenter, sed *scienter* calcasset, sive ex contemptu quia crux erat, fecisset grave peccatum impietatis; sive sine illa intentione sicut ceteram paleam, sive ad vincendum scrupulum, nulla esset culpa, quia culpa non est in calcanda palea, etiamsi formam crucis repraesentet. Idem de multis aliis rebus est dicendum, in quibus materialis quaedam actio est quae ab impio homine cum formali contemptu fieri posset, innocentissime vero fit ab eo qui nullam habet malam intentionem.

Secunda nota : postquam calcavi illam crucem, vel postquam cogitavi vel dixi vel feci aliquid aliud, venit mihi extrinsecus cogitatio me peccasse, et ex altera parte mihi videtur quod non peccaverim; tamen sentio in hoc turbationem, scilicet in quan-

tum dubito (i. e. timeo de peccato), et in quantum non dubito : istud est proprie scrupulus, et tentatio quam inimicus ingerit.

Cogitavi, dixi, feci : nam circa haec omnia versatur scrupulus. Timet scrupulosus ne consensum dederit cogitationi turpi aut contra fidem, aut contra amorem Dei; timet ne injusta suspicione peccaverit, quamvis suspicandi rationes adfuerint; timet ne dicto famam alterius laeserit, ne peccaverit verbum proferendo cui sensus impurus possit applicari; timet ne malam confessionem fecerit ob defectum sufficientis examinis sinceraeve contritionis; timet ne communicaverit non jejunus, aut post consensum forte datum malae cogitationi, etc.

Venit mihi extrinsecus cogitatio me peccasse. Verba illa valde sunt notanda; nam intimam, juxta S. Patrem, distinctionem inter scrupulum improprie dictum, de quo in nota praecedente, et scrupulum proprie dictum constituunt. In priori enim nil extrinseci, sive a parte diaboli, sive a parte alterius intervenit, estque merus *proprii ac liberi judicii* fructus; cumque in eo erret judicium, vocatur *judicium erroneum*. Scrupulus autem verus et proprie dictus foris venit scil. ab inimico humanae naturae, qui cum non possit ad peccatum adducere, turbare saltem tentat et tris-

titia afficere, ut hominem animo frangat, et etiam ad desperationem adigat. Lucta igitur intercedit inter tentantem diabolum et sanam hominis tentati rationem : inde modo in unam partem inclinat homo, modo in alteram. Hinc nominat S. P. hunc proprie dictum scrupulum *tentationem,* cui, ut ceteris tentationibus, est resistendum. Tentationi autem huic scrupulosus propria ratione, utpote perturbata, non potest efficaciter resistere; resistet ac vincet, cum soli boni sui confessarii rationi firmiter ac sine examine innitetur. Inde obedientia non qualiscumque, sed *caeca* penitus est scrupuloso necessaria, si velit e scrupulis emergere. Objiciet acturum se contra suam conscientiam et, per consequens, si obediat, peccaturum. Nequaquam aget contra conscientiam, nam conscientiam non habet, nec etiam in statu suo conscientiam habere potest, nisi conscientiam confessarii. Conscientia enim ejus caeca est et errori obnoxia, nec ut regula haberi potest; remanet igitur tenenda, contra apprehensiones quascumque, conscientia confessarii, quem Deus ipsi praefecit, quamque si secutus fuerit, peccare non poterit. *Qui vos audit, me audit,* nec propterea a Dei judiciis timendum habet quidquam. *Vir obediens loquetur victorias.*

Tertia nota. Pauca de hac nota dicenda sunt, cum sit per se nitidissima. Mirari tamen quis primo aspectu possit, quod priori speciei scrupuli, judicio scilicet erroneo libere formato, tam atram notam inurat S. P., cum dicit : *scrupulus ille valde est abhorrendus;* duplicem enim superlativum ibi congerit. Unde ergo est valde abhorendus? 1. Quia omnis error Deo opponitur qui est veritas. 2. Quia haec judicia peccata multa parere possunt. 3. Quia saepissime his judiciis pertinacia conjungitur. Adde judicia falsas obligationes imponentia, pestem olere jansenisticam, quae Deum optimum in tyrannum, suaveque Jesu jugum in onus importunum convertit.

Quod autem scrupulus proprie dictus *per aliquod spatium temporis* animae prosit, id experientia constat; immo invenire est animas bonas et rectas quae, quasi per totam vitam scrupulis exercitatae, ab omni peccato mortali, in mediis etiam mundi periculis, ad mortem usque immunes sese servant.

Quarta nota applicatio est regulae 14^ae^ de disc. spir. pro prima hebdomada. Ibi enim sicut belli dux, daemon inquirit quae sit animae pars debilior, quo faciliorem ea parte et certiorem victoriam obtineat. In hac nota exhibetur exquirens an sit delicata, an crassa

conscientia, in alterutro casu eumdem finem intendens, scilicet peccatum et perditionem, sed minime similibus armis.

Inimicus valde observat (quo superlativo ejus rabies et astutia exprimuntur : *adversarius vester tanquam leo* RUGIENS CIRCUIT *quaerens quem devoret) sitne anima crassa,* scilicet vix de puritate cordis sollicita, *an delicata,* scilicet de minimis naevis anxia.

1. *Et si delicata, procurat illam reddere magis delicatam ad extremum usque, quo facilius illam turbet ac profliget. Intrat enim,* ut ait reg. 4ª de disc. spir. 2ae hebd., *cum anima devota, ut exeat secum ipso,* transfigurans se in angelum perfectae puritatis amatorem, ut ad extremum eam perducat, scilicet ita opprimat et exanimet, ut perturbata in desperationem vel in amentiam anima decidat.

2. *Si anima est crassa, inimicus procurat reddere eam magis crassam.* Hujus tentationis tres gradus ponit S. P. : 1º negligere peccata venialia; 2º minus curare mortalia; 3º nullatenus ad haec attendere, ita ut anima, juxta reg. 1am 1ae hebd., ruat a peccato mortali in peccatum mortale. Adde pro religiosis illam diaboli fraudem qua regularum sui Ordinis transgressiones parvi faciunt.

Quinta nota de modo agendi contra diabo-

lum in utroque casu praecedente clarissime tractat S. P., sufficitque eximiam quam subjicit R. P. Roothaan notam transcribere : » *Solide se firmare in medio*. Ita ex autographo : » ubi notatu dignum est non poni a S. P., » quod in vulgata versione legitur : *relaxet* » *contra*. Licet enim hoc videatur sequi ex » generali propositione S. P. in initio hujus » regulae, tamen id hoc loco in applicatione » ejusdem regulae non dicit : sed potius vult » animam, quam daemon in anxietates conji- » cere tentat, *in medio* firmiter ac *solide* con- » sistere. — Et vero, qui *relaxat* conscientiam, » quum eam daemon quaerit *nimium restrin-* » *gere*, si ultra *medium* in ea relaxanda se dis- » solvat, gravissimum incurrit periculum, ne » in illud ipsum malum impingat, quo ini- » micus eam per illas ipsas augustias conatur » tandem pertrahere : id quod etiam tristis » plurimorum scrupulosorum comprobat ex- » perientia. »

Sexta nota explicat quomodo anima scrupulis agitata, et relaxare se possit, et simul solide in medio consistere, ut et finem a daemone intentum fugiat, et cum libertate filiorum Dei procedat. Quod conscientia crassa reddat se delicatam, nullum in hoc latet periculum; ast si ad agendum liberius conscien-

tiam scrupulosam adducere necesse sit, periculum utrinque occurret, ideoque tenenda media via erit quasi inter duos scopulos, oculis in Dei gloriam intentis.

Atque et pro praeteritis actibus et pro iis qui jamjam eliciendi sunt, certae regulae praefiguntur. Quoad actus jam positos, si scrupulosus dubitet de consensu, ne examinet; anima enim delicata non potest, quin id clare et primo aspectu videat, peccatum mortale admittere. Si autem de re facienda agitur, 1° *elevet homo mentem ad suum Creatorem ac Dominum;* 2° examinet actum illum *intrinsece,* scil. utrum in se spectet Dei famulatum et salutem animarum, vel saltem ea non impediat; in utroque autem casu, vult S. P., ut animo confirmato, ac sine ulteriori examine agatur, ceteris omnibus contemptis. Neque sic relaxat imprudenter conscientiam, sed magna cum ratione eam *solide firmat in medio;* neque aliter aget quicumque vacat a scrupulis. Scrupulus enim tunc non venit a ratione, sed a diabolo, qui vel impedire actum bonum ad Dei gloriam et ad charitatem exercendam utilem, vel animam perturbare et intricare intendit, *rationes ad id apparentes adducendo.* Cum igitur ibi adsit tentatio diaboli, tentationibusque sit resistendum, vult S. P.

ut 3° in promptu, quaecumque oriantur peccati apprehensiones, *per diametrum contra illam tentationem* procedatur. Quibus in regulis prudentia simul et firmitas S. P. N. eminent : non solum *in medio* scrupulosum ponit, sed ibidem eum *firmat*. Larga forte via illa alicui videbitur, tuta nihilominus omnino est, quia est *in medio*.

Si hac via incedat scrupulosus, brevi se sentiet liberatum; ast in hoc non mediocris consistit difficultas, quod nolens peccato consentire, quod justum est, tali modo apprehensionibus ab extrinseco provenientibus afficiatur, ut haesitet ac tutiorem partem malit eligere. Quamdiu huic tutiorismo, non vero supradictae regulae adhaerebit, non solum nil proficiet, sed in dies magis anxius erit.

Regulam igitur proponit S. P., quae omnes conditiones integrae sanationi aptissimas continet : 1° rationi innititur; 2° laxismi periculum amovet; 3° est firmissima : *per diametrum* contra procedit; 4° est universalis, nullam exceptionem admittens; quae quidem universalitas summi est momenti. Nunquam enim scrupulosum confessarius sanabit, si singulis casibus respondeat. Scrupuloso igitur regulam hanc sextam tranquille et clare, ut bonus magister, explicet, eamque ad pra-

xim deduci ab ipsomet scrupuloso jubeat. Hoc autem non dure et acriter praestet confessarius, sed cum suavi et firmissima charitate; ac super omnia caveat, ne et ipse haesitare videatur.

Regulae

ad sentiendum cum Ecclesia

Hae regulae interpretatione egere nobis non videntur. Clarae enim sunt et ita in rerum tenuitatem descendunt, ut addere eis aliquid minime necessarium sit.

Praeterea, tempore quo scriptae sunt, propter protestantium errores multis in locis vel sparsos vel imminentes, has populo opus erat proponere, quo facilius haeresim, etiam dissimulatam, agnosceret, illas autem clero, ne imperite defenderet impugnatas veritates. Nostris vero diebus, alii sunt errores, aliae inimicorum Ecclesiae artes, alius cum illis disputandi et populum praemonendi modus.

Bene tamen legentur regulae S. P. N., in quibus apparet quae sit vera pietas, quis sensus Ecclesiae et ad hunc sensum accommodatus loquendi modus.

FINIS

LAUS DEO

ERRATA

Errata	Corrige
p. 80, l. ult., secumdam irans . .	secum admirans
p. 97, l. 15, mansiset	mansisset
p. 105, l. 25, et *(dele)*	
p. 166, folio, CONTEMLPATIO . . .	CONTEMPLATIO
p. 177, l. 21, existi	existit
p. 189, l. 24, scolis	scholis
p. 191, l. 4, exaudixit	exaudivit
» l. 8, publicamus	publicanus
p. 193, l. 15, agressus	aggressus
p. 256, l. 7, expressum.	expressam
p. 285, l. 23, versa	versa-
p. 315, l. 5, scil	scil.
p. 317, l. 25, cogitationem. . . .	cogitationum
p. 318, l. 4, faciendae	facienda
p. 341, l. 17, caetus	coetus

ELENCHUS

Tomi quarti

PARS QUARTA

Quarta Hebdomada

pag.

Praenotanda 1
De ordinaria contemplatione 10
De extraordinaria contemplatione 20
Methodus contemplationis in 4° hebdomada 44
Notae quatuor 49

Contemplationes

Resurrectio et apparitio Dominae nostrae 59
Apparitio Mariae Magdalenae 68
» Sancto Petro 76
» discipulis Emmaus 82
» apostolis, absente S. Thoma 90
» apostolis, praesente S. Thoma 96
» ad mare Tiberiadis 102
» in monte Thabor 109
Nota circa tres sequentes apparitiones 115
Apparitio quingentis fratribus 117
» S. Jacobo 117
» Josepho ab Arimathea 118
» S. Paulo 120
Ascensio Christi Domini 123

Contemplatio ad amorem

pag.
Praemittenda. 130
Quatuor puncta Contemplationis 138

Tres modi orandi 167
Regulae discretionis spirituum 192
» pro pleniori discretione spirituum 285
» pro distribuendis eleemosynis 336
Notae de scrupulis 350
Regulae ad sentiendum cum Ecclesia 362

Mechliniae, Imp. L. & A. Godenne.